



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.


For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>





This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

















H.A.P.



600102493P



FRANCIS

FRANCIS

FRANCIS

FRANCIS

FRANCIS

FRANCIS

FRANCIS



FRANCIS

FRANCIS

FRANCIS

FRANCIS

HADRIANI
VALESII
DISCEPTATIO
DE BASILICIS QVAS PRIMI
FRANCORVM REGES
CONDIDERVNT,
*AN AB ORIGINE MONACHOS
habuerint.*



PARISIIS,
EX OFFICINA CRAMOSIANA.

M. DC. LVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

110. k. 756

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is extremely faint and illegible due to the quality of the scan. It appears to be organized into several paragraphs or sections, but the specific words and sentences cannot be discerned.



CLARISSIMO
ATQVE AMPLISSIMO VIRO
DIONYSIO,
DE SALLO,
IN SUPREMA
PARISIENSI CVRIA
CONSILIARIO REGIO

HADRIANVS VALESIVS S. D.



OPTABAM dudum, VIR
CLARISSIME, vt aliquod a-
micitiae nostrae, aut (si id
nimium est) obseruati-
ae in
te meae publicum monumentum ex-
staret. Rei tamdiu & tantopere expe-
ritae perficiendae sese mihi inopinan-

EPISTOLA.

ti opportuna obtulit occasio. Quippe inter me & quosdam homines doctos orta contentio est. Negant illi Basilicam suburbanam, quæ ab inclyti Parisiorum Episcopi sepulcro, nunc S. Germani nomen habet, unà Crucis Dominicæ ac B. Vincentio Martyri ædificatam fuisse, & à prima origine Monachos habuisse, propterea quòd à Gregorio Turonico Episcopo præter ceteros non aliter quàm S. Vincentij Basilica vocetur: qui tamen Historicus Ecclesias sedesque Monachorum Monasteria appellare consueverit. Quam opinionem ut funditus destruas, demonstrare constitui Monasteria à Gregorio cum aliis appellationibus tum maximè Basilicarum nomine designari solere, nec Basilicam modò B. Vincentij, quæ & S. Crucis Basilica dicta sit, sed etiam Basilicam Apostolorum à Chlodoueo magno conditam, S. Medardi Basilicam

EPISTOLA.

tam armatæ prætulisti, nec viro Nobili minùs conuenire existimâsti, inter purpuratos Patres lites popularium iure terminare, quàm signa Principis sequi. Quis enim priuatus crediderit infra se esse splendidissimum illud ministerium, quo Senatus olim Romanus, qui sæpe Nobilitatis nomine censebatur, quo Imperatores ipsi, quo denique Reges nostri diutissimè fungi voluerunt? Quamquam autem in amplissima Luteciæ Parisiorum Curia sententiam grauitè prudentérque dicere valdè gloriosum est atque laudandum: non tamen ibi subsistis, sed animum optimarum rerum capacissimum maioribus negotiis operibúsq; præparas: quotidie quantumper occupationes licet melioris notæ auctores, quorum maximam multitudinem comparasti, fœdera Gentium, ceteraque ad Rempubl. pertinentia

EPISTOLA.

euoluis; Historiam patriam & exter-
 nam, iura Regum nostrorum finiti-
 morúmque Principum ita percepta
 habes & cognita; ita linguis Latinâ,
 Germanicâ, Italicâ vteris, vt circa
 tricesimum ætatis annum, qua in æ-
 tate locupletes iuuenes luxu & volu-
 ptatibus corrumpi consueuerunt,
 iam te ex Curia in Aulam, à priua-
 tis negotiis ad publica breui transitu-
 rum, iam legationibus obeundis
 idoneum suspiciamus. Sed quo pia-
 culo taceam feminam lectissimam
 coniugem tuam? quæ sexum suum
 magnitudine ingenij supergressa, La-
 tinos Oratores, Poëtas, Historicos
 intelligit, Latinè scribit & loqui-
 tur, liberales demum disciplinas tam
 studiosè in ipso flore ætatis colit, vt
 cùm variis corporis animique doti-
 bus commendetur, communium stu-
 diorum commercio tibi multo iu-
 cundior reddatur & carior. De qua

2

EPISTOLA

Chlotharij ac Sigiberti Regum opus, Basilicam S. Marcelli quam Guntchramnus exstruxit, Basilicâ demum Dionysij Mart. ab Dagoberto ædificatam, ac plures alias à primordiis Monachis attributas esse: sepulcrum quoque B. Dionysij numquam, vt Aduersariis placet, in vrbe Lutecia existisse. Huius controuersia nec leuis nec contemnendæ (nam sicut vides, pro aris pugnatur) te VIR CLARISSIME arbitrum & cognitorem lego, patronumque ac defensorem oppugnatae veritatis, cuius tanta cum æquitate concordia, affinitas tanta est, vt æquum sæpe veteres scriptores veri nomine designârint. Tu igitur, quod tuarum est partium, litem nostram finies, & causâ cognitâ ac argumentis vtriusque perpensis, de tota re iudicabis: cuius perspicacitatem atque doctrinam tanti facio, vt contra quem pronuntiaueris, iure damna-

EPISTOLA.

tum sine dubitatione sim crediturus. Dicent alij illustres in Aquitania maiores tuos : dicent familiæ tuæ splendorem ac vetustatem , quam hodiè-que amplissimæ in Pictonibus possessiones & proauita latifundia dominiâque testantur. Dicent alij patrem tuum , summæ totius Regni Curia summum Senatorem , adeò integrum adeò æqui seruantem amantemque , vt improbos litigatores non humiles tantùm verumetiam potentes acriter increpitaret , & à vexatione bonorum auctoritate sua deterreret. Mihi nihil aliud in te contemplari libet quàm te ipsum. Opes enim & familiarum nobilitas atque claritudo sæpe ad indignissimos & degeneres transeunt heredes. Tu propriis quàm alienis bonis inclarescere ; tu tuis quàm maiorum dotibus atque virtutibus adornari maluisti. Qui patris imitatus exemplum , militiam toga-

EPISTOLA.

7

plura scriberem, nisi mihi spectata eius modestia silentium imponeret. Iam verò quis non miretur adeò tibi litteras cordi esse, vt exemplo Pomponij Attici pedisequos etiam habeas litteratos? Certè videmus inter famulos tuos Germanum quemdam non Latini solùm sermonis sed etiam Iuris Ciuilis peritum, semper si quo in loco consistat legentem aut meditantem: cui haud rarò ne à studiis auocetur, benignè otium indulges. Hæc pauca de multis, tametsi verecundiam tuam videntur fatigatura, prætermittere nolui, non assentandi studio, à quo sum naturâ alienissimus, non amicitia, cuius testimonium fidem mereri vix potest, sed vnius vi veritatis impulsus: vt intelligant posterì, (si tamen ad posteròs scripta nostra ventura sunt) sæculum nostrum in tanta rerum perturbatione tantâque morum corruptela

8
EPISTOLA.

non ex toto magnorum virorum &
bonorum exemplorum sterile fuisse.

Vale VIR CLARISSIME. Data XVI.
Kal. Iulij Luteciæ Parisiorum.



INDEX CAPITVM.

QUID *Gregorius Florentius Ecclesie*
nomine designare soleat: & de Eccle-
sia Parisiaca. CAPVT I. pag. 4.

Quòd Gregorius Monasteria nonnum-
quam Oratoria & Cellulas appellauerit: &
de Oratorijs Parisiacis B. Martini ac Cre-
scentie. CAP. II. 13

Plurima Monasteria ab Gregorio Ba-
silicas dici. CAP. III. 19

Basilicam Apostolorum apud Luteciam
ab origine Monasterium fuisse. CAP. IV.
pag. 29

Basilicam B. Vincentij, etiam S. Crucis
Basilicam dictam esse, & ab ipsis initijs
Monachos habuisse. CAP. V. 33

In Basilica S. Medardi Monachos ab
origine fuisse: nec solis Auctoribus equali-
bus subparibusve esse credendum. CAP. VI.
pag. 64

De Basilica Cabillonensi S. Marcelli
Mart. CAP. VII. 80

*Basilicam S. Dionysij tumulo illustrem,
semper extra Luteciam fuisse. CAP. VIII.*
pag. 85

*Quòd Basilica suburbana Dionysij Mar-
tyris sepulcro insignis, saltem à principatu
Dagoberti Monachos habere cœperit. CAP.
IX.* pag. 118

FINIS.

ERRATA ET OMISSA.

- Pag. 18. versu 20. *sapientissimo* scribe *pietissimo*
Pag. 28. versu 21. post *capite xiv.* adde *memoratum;*
Pag. 40. versu 6. *nobilior* scribe *ignobilior*
Pag. 51. versu 12. *quintadecima* scribe *septimadecima*
Pag. 106. versu 2. *Basilica* scribe *Basilica*

HADRIANI



HADRIANI
VALESII
DISCEPTATIO

*DE BASILICIS QUAS
primi Francorum Reges con-
diderunt, an ab origine Mo-
nachos habuerint.*



EMINI aliquando, cū
apud Ludouicum Canta-
rellum Fabrum, virum æta-
te venerabilem nec minùs
doctrina quàm dignitate
illustrem ex more conuenissemus, quæ-
rere ex me doctos homines & historiae
nostræ studiosos, quamobrem de Childe-
berto maiore scribens Basilicam Vincen-
tij Martyris semel aut iterum Monaste-

rium appellauissem, & ab Vsuardo eam S. Crucis ac B. Vincentij Basilicam dici existimauiſſem. Has autem ſibi à me diſſentiendi cauſas eſſe dicebant, quòd Basilica S. Vincentij à prima ſui origine Monachos nullos habuiſſet, nec vquam aliter ab Gregorio, & à Fredegario quàm Basilica aut Eccleſia B. Vincentij vocaretur, nuſquam eis ac nunquam Monasterium nuncuparetur, qui tamen Eccleſias Monachis attributas Monasteria appellare conſueuiſſent. Nam nec diplomati Childeberti Principis, nec Germani Episcopi litteris, multo minùs Gaguino ac recentisſimis ſcriptoribus credi oportere: Vsuardi autem non eſſe, quæ Vsuardo tribuiſſem. Ex quibus apparet nec S. Vincentij Basilicam ab origine Monasterium fuiſſe, nec Dominicæ Crucis conſecratam. Reſpondi ſià Gregorio, ne de ceteris loquerer, Basilicæ nomine nullum vquam Monasterium designaretur, Basilicas Pariſiacas Petri Apoſtoli ac S. Vincentij, ac Marcelli Marr. Cabillonensem Basilicam, Medardi quoque Episcopi extra muros ciuitatis Sueſſionum, aliasque plurimas pro Monasteriis ha-

bendas non esse, quæ tamen singulæ à
 prima origine Monachorum congrega-
 tionem habuissent. Quod ad titulum S.
 Crucis pertineret, obseruasse me pridem,
 à verustissimo auctore Basilicam S. Cru-
 cis appellari, quæ vulgò alijs B. Vincen-
 tij Basilica dicebatur. Assentientibus mi-
 hi nonnullis, dissentientibus ceteris, cum
 quidem ita discessimus, neutra vt pars
 manus daret, aut victam se esse fateretur.
 Sed postea cum eam de Basilica S.
 Vincentij sententiam manare ad plures,
 inualescere in dies, ac vulgari animad-
 uerterem, tandem silentium rumpere
 decreui, neque memet deferendo com-
 mittendum putari vt iure damnatus vi-
 derer. Itaque quod de industria ante fa-
 cere nolueram, aperire omnibus statui,
 quas ita de Vincentij Mart. Basilica sen-
 tiendi, scribendique causas habuerim.
 Ostendam igitur primum, Gregorium
 præ ceteris Monasteria varijs nominibus
 appellauisse, nunc Cellas, nunc Orato-
 ria; sæpissime (de quo controuersia est)
 Basilicas: & quas S. Symphoriani, S. Pe-
 tri, S. Vincentij, S. Medardi, S. Marcel-
 li Basilicas Gregorius, aut Fredegarius,
 aliique nuncupent, Monasteria iam tum

4 HADRIANI VALESII
fuisse: Basilicam autem B. Vincentij S.
Cruci dicatam etiam fuisse.

*Quid Gregorius Florentius Ecclesie no-
mine designare soleat: & de Ecclesia
Parisiaca.*

CAPVT I.

PRIVSQVAM quod pollicitus sum,
facere aggrediar, operæpretium esse
existimo obseruare, quid apud Grego-
rium Florentium Turonicum Episco-
pum Ecclesia significet. Animaduerto
igitur Gregorium nostrum plerumque
maïorem, aut vt ipse loquitur seniorem
cuiusque ciuitatis Ecclesiam eo nomine
designare. Exempla proferam pauca de
plurimis. In libri II. Historiæ Franc. ca-
pite XXI. postquàm ait Eparchium Ar-
uernorum Episcopum diebus Quadrage-
simæ Monasterio se inclusisse, subdit:
*Die autem Cena Dominica cum magno psal-
lentio, comitantibus Clericis ciuibûsque, ad
Ecclesiam suam reuertebatur.* In libri IV.
capite XXXVIII. *Die sancto Natalis Do-
minici Episcopo (Massiliensi) in Ecclesiam*

DISCEPTATIO.

5

adueniente, Archidiaconus indutus alba adest, Episcopum ut mos est inuitans ad altare debere procedere. In capite i v. libri v. Historiæ. Interim aduenit dies sanctus Epiphaniæ: denique cum psallentes de Ecclesia egressi ad sanctam Basilicam properarent: id est cum psallentes Clerici ab Ecclesia maiore Turonorum ad Basilicam B. Martini procederent. In capite xxv i i. de eadem Ecclesia, deque eadem Basilica loquens, Chilpericus Rex (inquit) de pauperibus & iunioribus Ecclesiæ vel Basilicæ bannos iussit exigi, pro eo quod in exercitu non ambulassent. Quare Ecclesias ciuitatis suæ enumerans, primariam quidem Ecclesiam seu cathedram suam simpliciter & absolutè Ecclesiam non semel appellat, & Episcopium domum Ecclesiæ; ceteras vero omnes Basilicas, nimirum Basilicam domni Martini, Basilicam S. Petri, Basilicam in Baptisterio, Basilicam S. Litorij, Basilicam S. Mariæ, aliasque. Idem auctor in Historiæ libri v. capite xi. de Auito Aruernorum Antistite à maiore vrbis Ecclesia ad titulum aliquem aut ad Monasterium die Dominicæ Ascensionis procedente sic refert. Die autem Beato, quo Dominus ad Calos post redemptum homi-

6 HADRITANI VALESII

nem adscendit gloriosus, cum sacerdos de Ecclesia ad Basilicam psallendo procederat, inuit super Synagogam Iudeorum multitudo frequentium. In libri quoque vii capite xxxii. Ecclesiam maiorem Luteciae Parisiorum Ecclesiam sanctam bis appellat & pontis vrbis publicis ac domibus negotiatorum habitis proximam esse indicat, eandemque in libro vii nunc Ecclesiam, nunc Ecclesiam Parisiensem in capitulo. & vs sicut & Fortunatus in libri ii Carmine xi nuncupat, ceteras autem Basilicas videlicet Basilicam Apostolorum, vrbis & Patris Basilicam B. Kincensij Mart. Basilicam S. Laurentij, Basilicam S. Iuliani, aliasque. Ex quibus Basilicam S. Iuliani Mart. vnam e vetustissimis vrbis nostrae Basilicis, pro Apud quam custodia Episcopi fuisse in libro ix docet Gregorius, quae S. Iuliani Pauperis atque etiam Veteris postea cognomen habuit. Eius Basilicae Presbyterorum Chartularium Parisiensis Ecclesiae in anno MCCXXIII desinens, in dno erat inter Presbyteros Cardinales, qui in interesse debent, quum Episcopus Missarum sollemnium celebrat in Ecclesia Parisiensi diebus festis Natalis Domini, Basilicae, & Assumptionis B. Virginis Mariae.

Et quoniam Ecclesia Parisiaca coepit fieri mentio, notandum est aetate Martini Turonici Episcopi, hoc est principatu Valentiniiani maioris cuiusque filiorum iam cum Lutecia Parisiorum in insula seu iniquitate maiorem Ecclesiam vel sedem Episcopi fuisse, quod a quibusdam pernegari miror. Id docet Severus Sulpicius his verbis in libro i. de vita B. Martini. *Apud Parisios domum portam civitatis illius magnis secum turbis turribus intravit, Leprosus miserabili facie horrentibus cunctis osculatus est. atque benedixit. statimque ab omni malo emundatus est. Is postera die ad Ecclesiam veniens mentitur, gratias pro sanitate quam receperat agebat. Agebat gratias leprosus Deo primum, deinde & Martino, apud Episcopum Parisiorum in domo Ecclesiae, quantum comiceret possumus, hospitium habenti. Unus ex antiquissimis Ecclesiae Parisiensis Episcopis fuit, & sicuti mihi videretur ante Chlodovei aetatem floruit Marcelinus, cuius de vita libellum ad Germanum Parisiorum Episcopum Fortunatus Presbyter composuit, ubi Ecclesiam Parisiacam flumini Sequanae proximam fuisse indicat. Sic autem scribit.*

8 HADRIANI VALESII .

Subdiaconali ministerio fungeretur, in die Epiphaniarum hauriens aquam de fluuio Sequana, dum B. Prudentio Episcopo manibus abluendis offerret, mutatis elementis vini sapor inuentus est. Quo viso obstupescens Pontifex, iussit ex ipso urceo in calicem sacrum fundi, unde uniuersus populus Missâ celebratâ ad Communionem accepit. Existimo itaque Ecclesiam Parisiacam positam fuisse in fronte seu in capite insulæ, vbi hodiè que posita visitur. Postea cum Ecclesia illa prior, quæ ætate Martini Turonici Episcopi, & sub Marcello nostro steterat, iam vetustate deficeret, Childebertus Chlodouei filius eâ dirutâ aliam eodem in loco maiorem elegantiorémque ædificauit, marmoreis fultam columnis, atque ita compositam totque fenestris vitreis apertam, vt & orientis Solis & occidentis radius illustraretur. Quare postquam descripsit Ecclesiam Parisiacam Fortunatus, addit

Hæc pius egregio Rex Childebertus amore

Dona suo populo non moritura dedit.

Situm eius Ecclesiæ non procul à ponte sublicio, in quo negotiatores habitabant, docet Gregorius. *Die Dominico egresso (inquit) Rege cum Regina de Ecclesia sancta,*

Leudastes usque ad plateam est profecutus : domusque negotiantum circumiens , species rimatur , argentum pensat , atque diuersa ornamenta perspicit dicens : Hac & hac comparabo , quia multum mihi aurum argentumque resedit. Ista illo dicente , subito aduenientes Regina pueri voluerunt eum vincire catenis. Ille vero euaginato gladio unum verberat : cumque per pontem urbis fugeret , elapso inter duos axes qui pontem faciunt pede , effractâ oppressus est tibiâ : vel vt loquitur Aimoinus , in medio ponte Parisiaca urbis pede inter duo tigna lapso tibiâ sibi fregit. Ex quibus intelligitur propinquam fuisse (vt hodiè que est) matrem Ecclesiam ponti tum ligneo , nunc lapideo , quem minorem vocamus , eoque in ponte & circa eum ætate Gregorij negotiatores ac aurifices habitauisse , ibi eos pretiosissimas merces etiam diebus Dominicis venales habuisse , aurum , argentum , ac varia ornamenta : sicuti quondam Romæ in Septis pretiosa quæque exponi vendique consueuisse auctor est Martialis. Quamobrem Iohannes Ionæuillæ dominus scribit Saracenos & Turcos , cum vrbe Tamiathi egrederentur , incendisse locum in quo omnes ipsorum merces

omnesque opes erant, talemque ac tantam rerum factam esse iacturam, quanta contingeret, si quis minori ponti Parisiorum admouisset faces. Verum igitur non est, ac ne verisimile quidem, quod cuidam viro docto placere audio, B. Marcelli Basilicam suburbanam matrem olim Ecclesiam Parisiacorum fuisse. Nam Gregorius Florentius *Marcellum in ipsius civitatis*, quam & urbem, & opidum, & municipium ibidem vocat, *vico quiescere* ait, hoc est in vico suburbano agri Parisiaci, quæ villa S. Marcelli hodiè quæ à Basilica & sepulcro magni Antistitiis cognominatur, & à Burgo B. Marcelli dividitur. Videretur autem ob id ibi ex more sepultus esse Marcellus, quòd eam Basilicam extruxisset: quæ si mater Parisiacorum fuisset Ecclesia, à Gregorio Ecclesia Parisiaca haud dubiè esset appellata. Sed iam inde à Constantino Aug. aut saltem ab eius liberis, postea quàm religio Christiana summa libertate, honore, ac immunitatibus floruit atque aucta est, maiores singularum civitatum Ecclesiarum raro admodum extramuros fuerunt. Veterem titulum Ecclesie Parisiacæ qui nos doceat, auctorem sub Merouei posteris

notum habemus. Abbo, qui ante annos
 DC CXX. de obsidione Luteciae scripsit,
 eam *urbem in honore B. Mariae sacratam* di-
 cit, & Aimoinus in libro Historiae tertio
 (in de Vita B. Baboleni loquar) *Basilicam*
Parisiae urbis in honore S. Mariae dicatam
 esse affirmat: quibus ambobus longe fa-
 cius & multo tutius est credere, quam
 nostrae aetatis hominibus, qui id gratis
 pernegant. Ad propositum reuertor.

Gregorius quidem primam & maxi-
 mam veterimamque cuiusque urbis Ec-
 clesiam, seu Episcopi cathedram ple-
 runaque, ut dixi, *Ecclesiam* appellat: non-
 numquam tamen modo *Basilicam*, modo
Oratorium improprie vocat. Quippe in li-
 bro de Gloria Martyrum memoria tradit
 Irenaeum Lugdunensem Episcopum &
 Martyrem, Perihini Mart. successorem,
in crypta Basilica B. Iohannis sub altari se-
putum esse: quae hodieque Metropoli-
 tana est Lugduni Ecclesia, & B. Iohannis
 Baptista nomine censetur: & in libri II.
 Historiae Francorum capite VI. maximam
 Mettensis urbis Ecclesiam, quae etiam-
 num Stephani Protomartyris Reliquias
 seruat ac nomen, *Oratorium B. Stephani*
primi Martyris ad Lenite quinquies appel-

lat, & in inscriptione capitis *Basilicam S. Stephani apud Mettensem urbem.*

Quamquam autem Episcopales Ecclesias Gregorius non aliter ferè quàm Ecclesias nuncupare consuevit, tamen ceteras omnes ciuitatum, ac vicorum etiam Basilicas eodem sæpe nomine appellat. Sic in libri VI. capite XXI. *Vasatensem ciuitatem incendio concrematam dicit, itaut Ecclesia vel domus Ecclesiastica vastarentur.* Sic in lib. VII. cap. XXXVIII. *totam urbem Conuenarum cum Ecclesiis succensam fuisse* asserit. Sic idem in lib. VIII. cap. XXXI. *Leudoualdum Episcopum Ecclesias Rotomagenses clausisse* ob cædem Prætextati prodit: & in capite XXXIII. *cùm Lutecia magna ex parte esset incensa, tamen Ecclesias cum domibus suis adustas esse negat.* Vicinas item Ecclesias passim commemorat, Cainonis Turonici vici *Ecclesiam* in lib. V. cap. XVIII. Maroialensem Ecclesiam pagi Turonici in lib. VII. cap. XII. alias alibi, & à Martino, Briccio, Eustochio atque Perpetuo Turonicis Episcopis variis *in vicis* suæ diœceseos *Ecclesias* ædificatas institutasque ait. Ut appareat Gregorium parum in scribendo constantem ac religiosum fuisse, &

modò vnam rem pluribus nominibus,
modò plures res vno nomine designaf-
se: quod & in fequenti capite doce-
bimus.

*Quòd Gregorius Monasteria nonnum-
quam Oratoria & Cellulas appella-
uerit: & de Oratoriis Parisiacis B.
Martini ac Crescentiæ.*

CAPVT II.

VT euidentiùs appareat verum non
esse, quod aiunt aduerfarij, Basili-
cas vel Ecclesias, quæ Monasteria sibi ha-
berent adiuncta, non aliter à Gregorio
quàm Monasteria nuncupari consueuif-
se: iam mihi notanda sunt nomina,
quibus Gregorius Monasteria designare
solet.

Ac primùm constat à nobiliore parte
Oratoria ei nonnumquam dici. Certè in
libro de Gloria Confessorum ita loqui-
tur. *Quidam nomine Augustus de eleemo-
synis deuotorum apud Brias vicum in hono-
rem S. Martini Antistitis Oratorium edifica-
uit, & collectis secum paucis Monachis, sub*

14 HADRIANI VALESI

regula Monasterij degens semper oratione vacabat. Idem in libro 1. Miraculorum S. Martini cap. xiv. in castello regionis Italiae quod dicitur Tertium, Oratorium B. Martini fundatum efficit, & in capite xvi. hoc Oratorium puellarum vocat, & Abbatissa loci meminit. Eodem in libro de Monasterio quodam Virgimum sic refert. In parva Ambianensi, in qua quondam vir Beatus pauperem algentem obtinente decisa comexii, Oratorium a Fidei nomine edificatum, in quo nunc puellae Religiose deseruiunt ad honorem S. Episcopi. Monasteria ergo Gregorius haud dubitavit Oratoria appellare. Oratorium autem proprie dicebatur aedificia Sanctorum consecrata Reliquiis, in qua Christiani Deum orare consueverant. vulgò nunc Capellam vocamus. quae Oratoria Episcopi in domo Ecclesiae quemque suae, & in omnes Praeceptores propter fatigationem familiae in villis a praedictis suis habuisse, Gregorius passim & Concilia nos docent. Tale ferebat Oratorium S. Columbae Virginis & Martyris Parisiis, nunc ignotum nostris tale & Oratorium B. Martini in ciuitate Lutetia Parisiorum seu in insula fluminis

Sequana ad portam Septentrionalem
 positum, quo in loco Martinus leprosum
 osculo curauerat: de quo Gregorius in
 lib. viii. cap. xxxii. loquitur his ver-
 bis: *Cum per totam civitatem flante vento
 flamma ferretur, appropinquare ad aliam
 portam cepit, in qua B. Martini Oratorium
 habebatur, quod ob hoc aliquando factum
 fuerat, eo quod ibi lepram maculosi hominis
 osculo depulisset. Vir autem, qui ipsum in-
 textis virgultis in sublime construxerat, se-
 resque suas intra eius parietes ambussit. Ora-
 torium hoc, ut erat ex leui nec diu dura-
 tura materia confectum, haud dubie
 intercidit: nulla enim eius memoria,
 nec quidquam ei cum S. Martini Monas-
 terio Heinriciano commune. Heic no-
 tare conuenit Henricum Ecclesie &
 Monasterij S. Martini conditorem, qui
 primus eo nomine apud Francos regna-
 uit, in litteris immunitatis anno MLX.
 Monasterio tributa falso dicere, ante
 Parisiense urbis portam in honore Confessoris
 Christi Martini Abbatiam fuisse, quam ty-
 rannica rabie funditus deletam, ipse ex inte-
 gro ampliatorem quam fuerat restituerit.
 Quippe etate B. Martini Lutecia cum
 suis muris ac portis flumine Sequana*

circumundique claudebatur: itaut Oratorium illud vetus S. Martini, quod ad portam Septentrionalem vr̄bis exstructum Guntchramno & Chlothario iuniorē regnantibus ait Gregorius, intra insulam esse debuerit, longēque abfuerit à loco, in quo post quadringentos & septuaginta amplius annos Basilicam S. Martino Henricus maior Francorum Rex prope mœnia vr̄bis quidem, sed iam aucto eius pomœrio ædificauit. Si quidem certum est Henricianam S. Martini Basilicam diu extra vr̄bem fuisse, & ob situm suum à campis cognomen inuenisse, ac procul ab insula atque à flumine hodiēque distare. Oratorium verò vetus B. Martini virtute atque nomine insigne, quod Rex Henricus nescio an propriè Abbatiam vocat, videtur sicut paruum ac ligneum erat, non diu stetisse: cuiuscùm principatu Henrici sola duraret memoria, nec vllum inueniretur vestigium, credidere qui tunc viuebant ac Henrico Principi persuasere, vbi Basilicam Domini Martini faciebat, ibi Oratorium eiusdem Antistitis quondam fuisse. Intercidit dudum & Oratorium B. Crescentiæ, Virginis quon-

quondam Deo consecratæ: cuius mentionem facit Gregorius in libro de gloria Confessorum. *Tumulus* (inquit) *erat in vico Parisiorum haud procul à loco, in quo senior ut aiunt Ecclesia nuncupatur, nullo opertus tegmine, ibique in lapide habebatur scriptum: Heic requiescit Crescentia sacrata Deo Virgo: cuius tumulum Monetarius urbis, à morbo liberatus per eam, texit Oratorio desuper constructo.* Sed Oratorium illud omnino extra muros Luteciæ in vico aliquo suburbano fuit.

Monasteria ut Gregorius Oratoria ac Basilicas, sic quidam à nobiliore parte Ecclesias vocauerunt. Ita Gregorius Romanus Episcopus *Ecclesiam S. Martini in suburbano Augustodunensi*, quam Brunichildis extruxerat, in epistola ad Lupponem Abbatem eius appellat, qua nimirum huic Monasterio quædam priuilegia concedit; & *Ecclesie B. Eligij Abbatem Sparuum* non semel nuncupat *Audoënus*. Matthæus in epistola ad Philippum Francorum Regem, *Ecclesie B. Dionysij in Francia Abbatem* se vocat.

Gregorius noster Monasteria non solum, ut diximus, Oratoria; sed etiam ab vno è maximis præcipuisque cuius-

que Cœnobij membris, videlicet à loco in quo Monachi congregati dormiunt, Cellulas haud rarò vocauit. Certè in libri Historiæ II. capite XXXVII. de Monasterio Pictonico B. Maxentij ita loquitur. *Cuius Monasterij nomen lectioni non indidimus, quia locus ille vsque hodie Cellula S. Maxentij vocatur: & libri V. capite XII. Brachionem Abbatem Cellula Manatensis appellat: in libri quoque VI. capite VIII. scribit Eparchium post conuersionem Clericum factum, Ecolismam venientem Cellulam sibi edificasse, in qua paucos Monachos collegerit: panem in Cellula illa eo viuente coctum numquam fuisse, quam & ibidem Monasterium; ipsum verò Abbatem vocat. Similiter in libro X. modò Cœnobium Aredij in Lemouicibus, quod hodièque B. viri nomen seruat, modò & Cellulam eius nuncupat vnum idèmq; Monasterium à sapientissimo Abbate Aredio fundatum.*

Apparet ergo Gregorium Monasteria variis nominibus designauisse, & nunc Oratoria, nunc Cellulas, interdum à communitate vitæ atque victus Cœobia cognominauisse, non autem, ut Aduersarij asserunt, ea haud aliter quàm Monasteria appellauisse. Superest, ut Mo-

hafteria apud Gregorium etiam Basilicas
à nobiliore sui parte dicta esse doceamus.

*Plurima Monasteria ab Gregorio
Basilicas dici.*

C A P V T I I I.

BASILICAS Gregorius nunc Ec-
clesias Paroeciales vocat, vt in libri
v. capite ii. *Basilicam S. Martini* Roto-
magi, quæ & hodie paroecia esse dicitur,
ac mille alibi alias; nunc etiam Mona-
steria: quod iam nos docendum susci-
pimus. Ac primùm *Basilicam B. Sympho-
riani Augustodunensis Martyris ab Euphronio
Presbytero*, qui postea eius vrbis Episco-
patum gessit, *edificatam esse* in libri i i.
Historiæ capite xv. prodidit Gregorius,
& in lib. viii. cap. xxx. *Duces exercitus
Basilicam S. Symphoriani Mart. petiisse*: quæ
& in Concilio Valentino i i. non aliter
quàm *Basilica S. Symphoriani* vocatur. At
ca Basilica Monachos habuit, Abbatem
sibi suum ab origine habuit, & vt vno
verbo cuncta complectar, ibi Monaste-
rium fuit. Quippe vt Fortunatus Pre-

sbyter Gregorij æqualis memoriæ tradi-
 dit in libro de Vita Germani Parisiorum
 Episcopi, Germanus Augustodunensis
 indigena, iam Presbyter à venerabili Pon-
 tifice Nectario Abbas ad S. Symphorianum
 merito dignus adsciscitur. Ibidem Fortu-
 natus commemorat Fratres & Monachos
 eius loci, quem tamen & ipse non ali-
 ter quàm Basilicam S. Symphoriani nomi-
 nat. Friuolum sit his adicere, Abbatem
 S. Symphoriani Basilicæ Ermenarium dici
 in libro de Vita B. Leodegarij Augusto-
 dunensis Episcopi, ad Ermenarium hunc
 Leodegarij successorem composito.
 Fuit extra muros Luteciæ Basilica S.
 Laurentij, Gregorio in lib. vi. cap. xv.
 memorata, cum ait: *Tantam inundationem
 Sequana Matronaque circa Parisius iutule-
 runt, ut inter ciuitatem & Basilicam S.
 Laurentij naufragia saepe contingerent: cu-
 ius Basilicæ & in Vita S. Leobini vel Leu-
 beni Carnutini Episcopi, quem vul-
 gò Lubinum vocitant, à scriptore suppa-
 re composita mentio fit his verbis. Alio
 tempore dum B. Leobinus cum Medoueo
 confacerdote (Meldensi) à Childeberto
 Rege Parisius fuisset inuitatus, à parte Basili-
 cæ B. Laurentij noctu edux ignis exsiliens*

domos pendulus, que per pontem constructa
 erant, excurrere cepit: & non solum ex vicino
 fluuio incessanter aqua superfusa non adque-
 nit, sed etiam ciuitati proximus, ciuibus ne
 vniuersa consumeret magnum timorem in-
 censit. Et autem Rex ob clamorem populi ex-
 pergescitus sopore quietis abrupto causam tu-
 multus agnouit, confestim ad B. Leobinum
 dirigit missum, ut celeriter veniens succur-
 reret ciuitati. At ad eam Basilicam Mo-
 nasterium erat; quemadmodum docet
 ipsemet Gregorius lib. vi. cap. ix. affir-
 mans *Domnulum tempore Chlotharij Regis*
apud Parisius ad Basilicam S. Laurentij gregi
Monasteriali prefuisse. Quid apertius Mo-
 nasterium autem illud S. Laurentij extra
 ciuitatem positum, cuius nulla pridem
 memoria, mihi videtur non procul a mi-
 nore Ponte Parisiorum abfuisse, quem
 ligneum fuisse iam notavi: ita ut Childe-
 bertus Rex, qui in Palatio Thermarum
 habitabat, facile clamore populi subur-
 bani potuerit excitari. Falluntur igitur,
 qui sibi persuadent Basilicam S. Lauren-
 tij fuisse, vbi nunc Laurentij Mart. Pa-
 rochialis Ecclesia est, vel vbi S. Lazari
 Monasterium cernitur: quæ loca in sub-
 urbanis Septentrionalibus posita sunt,

proculque abfunt à ciuitate atque à flumine Sequana, nec admodum vetera videntur: cùm Basilica illa S. Laurentij & vetustissima, & ponti fluminive propinqua, & in suburbanis meridiem spectantibus sita fuerit.

Si Aduersariis credere liber, & more modoque eorum argumentari, Basilica illa Turonica B. Martini sepulcro illustris, nulla ratione Monachorum fuit, aut Monasterium habuit adiunctum: propterea quòd nunc *Basilica S. Martini*, vel *Domni Martini*; nunc *Basilica sancta*; interdum *templum sanctum*, & *B. Martini templum* à Gregorio nuncupetur, nusquam autem & numquam ab eodem, aut à Fredegario Monasterium vocetur, qui auctores Monasteria non aliter quàm *Monasteria* appellare consueuerint. Constat tamen hancce B. Martini Basilicam Abbatem suum habuisse ætate Gregorij, itaut iam tum eo in loco non solùm Basilicam, sed etiam Monachorum congregationem fuisse oporteat. Ac ne quis me gratis id affirmare putet, ipsemet qui ab Aduersariis mihi obiici solet, auctor mihi est huius sententiæ fundusque Gregorius, cuius de Claudio

post interfectum in Saluatorio Basilicæ S. Martini Eberulfum perturbato hæc sunt verba in libri Hist. Franc. vii. capite xxix. *Igitur Claudius timore perterritus Cellulam Abbatis expetiit, ab eo se tutari cupiens, in cuius Patronum reuerentiam habere non sapuit. Abbas apprehensus à duobus Clericis inter gladiatorum acies vix viuus eripitur. Nonnulli etiam Matriculariorum & reliquorum pauperum pro scelere commisso totum Cellula conantur euertere. Idem in libro x. Leonem ex Abbate Basilicæ S. Martini ordinatum Episcopum Turonicum ait. Si Basilica S. Martini Abbatem habuit, vt certè habuit, (quis enim id negare audeat affirmante Gregorio?) Monachos vtrique ac Monasterium habuerit necesse est. Quippe qui Abbatem dicit, patrem nî fallor Monachorum dicit, qui sine Monasterio vnà esse non possunt. Omitto Cellulæ ab eodem scriptore ibi ter factam esse mentionem, quam nemo nescit propriè Monachis cõuenire, adeò vt haud rarò Monasterium Cellula nuncupetur. Prætereo, quod ait Gregorius lib. vii. cap. xxii. *per Saluatorij Basilicæ S. Martini ostium introeuntes puellas cum pueris Eberulfi suspexisse peduras**

parietum, rimatâsque esse ornamenta B. sepulcri, quod valdè facinorosum Religiosus erat. Constat autem Monachos ut seruos Dei, ita & Religiosos cum ab aliis, tum à Gregorio nonnumquam dictos esse, atque ea appellatione designatos. Certè in libro 1. Miraculorum S. Martini inuenio, in porta Ambianensi Oratorium à Fidelibus esse adificatum, in quo puella Religiosè deseruirent ad honorem S. Martini, hoc est Monachæ, quæ quòd puellis Sæcularibus religiosiores esse soleant, Religiosæ sunt dictæ. Heic forsitan dicet mihi aliquis insultabundus ac renidens velut iam partâ victoriâ, non Monachos à Gregorio, sed Clericos vocatos esse, qui in Basilica B. Martini psallerent, & officium vel cursum explerent: quos & S. Martini Clericos nominet, & à quibus Abbatem ex periculo mortis creptum fuisse prodât. Quasi non omnes qui in Ecclesiastici ministery gradibus ordinati sunt, ut ait Isidorus, generaliter Clerici nominentur: aut quasi non Ionas auctor grauis & Fredegarij æqualis Monachum, qui Clericatus gradum sortitus est, passim Clericum appellet. Nónne idem nomen in Gestis Francorum, atque apud

multos veteres scriptores ita vsurpatur? Nonne Rigordus qui Monachus erat, *B. Dionysij Clericum* ipse se vocat? Nonne eundem Guillelmus Britto *Ecclesie B. Dionysij Clericum* nuncupat? Quæ fuit caussa, quare Prudentius Sandouallius *Fratrem, Clericum, & Monachum* à Notariis promiscuè de vno eodémque dici assereret, rémq; confirmaret veterum instrumentorum exemplis. Recentiores quidem auctores non rarò Canonicos Clericorum nomine designârunt: sed scriptorem æqualem aut subparem non inuenient Aduersarij, qui doceat ætate Gregorij Episcopi Turonici in *B. Martini Basilica Congregationem Canonorum* fuisse. Abundè vt puto probat Gregorij auctoritas, Basilicam *S. Martini Monachos* habuisse, cuius si testimonium non sufficit, addemus & alterum. Baudemundus grauissimus scriptor & Fredegario nostro suppar, de *Vita S. Amandi Tungrorum Episcopi* librum composuit, & ex eius discipulis pleraque accepit. Is ita scribit; *Amandus Turonos ad sepulcrum Sanctissimi petri Martini, ubi comam capitis sui abscidit, adeptusque Clericatus honorem, omnes gratiâ*

transscendebat in Clero. Post hac verò ab Ab-
 bate ipsius loci & à Fratibus benedictione
 perceptâ, ciuitatem Biturigas ad S. petri Au-
 stregisilum, qui tunc in Dei rebus magnificus
 habebatur. Ex quibus verbis intelligitur
 ad sepulcrum seu ad Basilicam S. Marti-
 ni & Abbatem, & Fratres, hoc est Mona-
 chos qui ab eo regerentur, Amando ado-
 lescente circa Chlotharij iunioris Prin-
 cipatum fuisse. Quare in rebus gestis
 Pippini Regis *Vulfardi Abbatis Monasterij*
B. Martini diserta fit mentio, & dicitur
 Pippinus ad *Monasterium B. Martini Con-*
fessoris accessisse, cuius non multo post
 Abbas fuit Alcuinus Caroli Magni be-
 neficio, vir doctus, qui inter Fratres in
Ecclesia S. Martini Deo seruientes (vt ait
 ipse) *uiuere ac requiescere desiderabat.* Pæ-
 ne omiseram Priuilegium libertatis, ab
 Adeodato Papa Monasterio S. Martini
 concessum Theodorico Chlodouei mi-
 noris filio apud Francos regnante, in
 quo *Agiricus Presbyter & Abbas Monaste-*
rij S. Martini, eiusque Prepositus, & Mo-
nachi ibidem degentes memorantur: quod
 Priuilegium ab Aduersariis Sirmundo
 scilicet multo prudentioribus & saga-
 cioribus improbari & pro suppositio

sine caussa haberi animaduerto. Nec
 quamuis recentior omittendus est Ai-
 moinus, qui secutus Gesta Dagoberti in
 lib. v. cap. xxxii. tradit Dagobertum or-
 dinem psallentium, uti apud S. Martinum Tu-
 ronis, necnon apud S. Mauricium Agauni age-
 batur, in Ecclesia S. Dionysij instituisse. Ut ap-
 pareat Aimoinum credidisse, sicuti Da-
 goberti principatu Agaunum & Basilica
 S. Dionysij Monachos habuerunt, ita &
 S. Martini Basilicam habuisse. Ordo au-
 tem iste ita psallendi in Basilica B. Marti-
 ni à ix. Episcopis Turonis congregatis
 anno vi. regni Chariberti Christi DLX-
 v r i. est institutus. Cui hæc de Mona-
 sterio B. Martini non sufficient, nihil
 omnino sufficiet. Ad alia veniamus.

Basilicam B. Hilarij apud Pictavos com-
 memorat Gregorius in lib. Hist. v. cap.
 xxv. nec vmquam aliter eam appellat.
 Idem tamen hanc ipsam Basilicam Mo-
 nachorum fuisse apertissime indicat, cum
 in libri ix. capite penultimo *Porsacium*
Abbatem Basilica B. Hilarij vocat.

Celebris est similiter *Basilica S. Remigij*
 apud Gregorium in lib. Hist. x. cap. xiv.
 nec ab eo alio nomine appellatur. Idem
 nihilominus Historicus Abbatem ei at-

tribuit, & in lib. x. cap. xix. *Epiphanium* Abbatem *Basilicae S. Remigij* vocat, eumque *Abbatis officio*, qui *Basilicae S. Remigij* praerat, remotum esse propter crimen maiestatis ait.

Simili ratione *Lupentium Abbatem Basilicae S. Prinati Martyris urbis Gabalitanae* in lib. vi. cap. xxxvii. appellat. Eodem modo & eandem ob causam in lib. viii. cap. xxi. *Monachos Basilicae urbis Merrensens* vocat; & in lib. ii. cap. xxii. *Basilicam Monasterij* commemorat apud *Aruernos*: & in libro de *Gloria Confessorum*, ubi *sepulcri S. Victoris Massiliensis Martyris* meminit, meminit & *Abbatis loci*, quem in lib. *Hist. ix. cap. xxi.* *Basilicam S. Victoris* appellat.

Facile possem, si liberet, probare aequis lectoribus, & *Basilicam S. Germani Autissiodurensis Episcopi* à *Gregorio* lib. *Hist. v. cap. xiv.* & *Basilicam magnam*, quam *super cryptam Benigni Mart. Divione Gregorius Lingonicus Episcopus* edificavit, atque ubi sepultus est; & *Basilicam S. Stephani Mart.* in villa *Regia Cauciaco*, ubi *Childebertus iunior* humatus est; *Sancti quoque Apri Basilicam* vel *Ecclesiam* in urbe *Tullo*, ac plurimas

alias Monachos habuisse. Sed ad alia propero, ac probare volo, ubicumque Reges Francorum à Meroueo genus deducentes Basilicas condiderunt dotaruntque, ibidem simul & Monasteria aut nonnumquam Xenodochia extruxisse. **A** Basilica S S. Apostolorum sumam exordium.

Basilicam Apostolorum apud Luteciam ab origine Monasterium fuisse.

CAPVT IV.

ADVERSARIJ Basilicas S S. Apostolorum, B. Vincentij, aliasque negant Monasteria fuisse, vno nixi argumento perquam infirmo, quòd semper Basilicæ, numquam Monasteria ab Gregorio vocentur, qui tamen scriptor Monachorum Ecclesias non aliter quàm Monasteria appellauerit, atque hoc eas nomine à Basilicis distinxerit. Quod argumentum cum suprà satis superque refellerim, demonstraerimque multis nominibus Monasteria à Gregorio designari, & nunc Cellulas, nunc Oratoria,

interdum Cœnobia, plerumque verò & Basilicas dici, iam si vellem iure meo uti possem, & quod de aliquibus Basilicis evidentissimè ostendi, vel citra auctoritatem idem affirmare de ceteris. Non tamen id faciam, ne qualicumque successu malè usus esse videar, & loca quæ ad me nihil pertinent temerè inuasisse. Veram atque plenam volo & sine exceptione victoriam. Descendendum est igitur iterum in aciem, & tamquam nihil dum actum sit, cum Aduersariis quamquam iam victis & exarmatis de integro confligendum: si qua ratione eis erroris sui confessio, & agnitio veritatis extorqueri possit. Ostendendum in primis Reges nostros Chlodoueam Chlodouèique posteros in Basilicis quas ædificauerunt Monachos collocauisse, & à Basilica S. Petri sunt capienda primordia.

Basilicam, quam Chlodoueus Francorum Rex condidit, modò *Basilicam S. S. Apostolorum*, Petri nimirum & Pauli, modò *Basilicam S. Petri Apostoli* Gregorius appellat: quæ postea à B. Genouefa Virgine ibi sepulta nomen accepit. Eo in loco ab origine Monasterium fuisse affirmamus, Aduersarij negant. Legentes iu-

dicent utris credi oporteat. Auctor bonus & grauis, qui de Vita Balthildis Reginae paullo post eius obitum librum composuit, & quem illa Abbatem Corbeiae præposuerat, Episcopum vidit, de Chrothilde Chlodouei coniuge deque suburbana Basilica S. Petri sic refert. *Recolimus quidem in Regno Francorum nobiles & Dei cultrices quasdam fuisse Reginas: Chrothildem scilicet neptem Gundebadi Regis, atque magni & antiqui Chlodouei Regis coniugem, qua ita eundem paganissimum ueris instruxit exhortationibus, ut tota mentis intentione ad cultum se Christiana religionis feruente fidei calore conuerteret. Et non solum ipsum, sed etiam diuinâ gratiâ adiuta plurimos Francorum Proceres traxit ad Christi cognitionem, & ad Catholicae Fidei dilectionem. Ecclesiam quoque in honorem S. Petri, ubi religio Monastici ordinis uigeret, Parisius fecit: necnon Cænobium sacrarum Virginum in honore S. Georgij in Kala prima construxit.* Hæc scriptor ille incerti quidem nominis, sed certissimæ auctoritatis; quem Laurentius Surius primò, deinde & Iohannes Bollandus ex vetustissimis codicibus eruerunt, memoriæ mandauit: ex quibus intelligitur Mona-

chos à Chlodoueo atque Chrothilde in
 Parisiaca B. Petri Basilica esse collocatos:
 Sed iam videre, iam audire videor reni-
 dentes Aduersarios, ac mihi obstrepen-
 tes, qui tali auctori de rebus ante annos
 centum & octoginta gestis scribenti fi-
 dem haberi velim. O factum malè, quòd
 eum scriptorem laudauerim, cuius &
 testimonium recusare & auctoritatem
 Aduersariis eludere liceret. Fatean-
 tur tamen necesse est huic scriptori
 saltem de suæ ætatis rebus credi o-
 portere, & quandoquidem id disertis
 verbis affirmat, sub Balthilde Chlodo-
 ueique minoris filii S. Petri Basilicam
 Monachos religione florentes habuisse.
 Aut igitur Aduersarij nos doceant, quan-
 do primùm suburbana B. Petri Basilica
 Monachis attributa sit: aut si id non pos-
 sunt, (vt certè non possunt) à prima ori-
 gine seu iam inde à Chlodoueo ibi Mo-
 nasterium fuisse, nos æquo animo cre-
 dere patiantur.

Quòd autem Basilicæ tantùm B. Petri
 meminerit Gregorius, non & Monaste-
 rij, haudquaquam mirari conuenit. Nam
 cùm Chlodoueam atque Chrothildem
 in Sacrario Basilicæ S. Petri, quam ambo
 exstruxerunt

extruxerant, sepultos diceret, cum ibidem humatos eorum ex Chlodomere filio nepotes; non Monasterij facere mentionem debuit, sicut nec fecit, sed tantum Basilicæ Monasterij, in quam Regia corpora delata sunt.

Iam verò & ædium laxitas, & porticus, & secretarium Basilicæ Petri Apostoli tantum, vt Episcopi bis sub Chilperico, semel sub Chlothario minore eius filio congregati ibi confederint, quid aliud indicant quàm eam Basilicam non pauculis Clericis, sed multis lectisque Monachis ab ipsis conditoribus esse destinata? Ex Basilica S. Apostolorum ad Basilicam B. Vincentij M. transeamus.

Basilicam B. Vincentij, etiam S. Crucis Basilicam dictam esse, & ab ipsis initiis Monachos habuisse.

C A P V T V.

FESTI VI sunt planè, sed molestissimum Aduersarij, qui gratis & pro voluntate sua omnia negando, omnia probandi nobis necessitatem imponunt. Vna

eadémque simul operâ duo præfractè negant, videlicet Basilicam B. Vincentij, quam Childebertus Chlodouei filius condidit, quæque postea à sepulto ibi B. Parisiorum Antistite S. Germani Basilica dicta est, S. Cruci pariter consecratam fuisse, & Monachos habuisse, propterea quòd à Gregorio *Basilica S. Vincentij*, à Fredegario & auctore Gestorum Francorum *Ecclesia S. Vincentij* semper appelletur. Hæc duo capita controuersia sunt. Videamus, ecquid de vtroque sentiendum sit. Primò de titulo Basilicæ agemus, deinde ostendemus Monachos ibi ab origine fuisse.

Basilicam, quam Childebertus maior, Chlodouei filius extra muros Luteciæ Parisiorum extruxit, in honorem S. Crucis ac B. Vincentij ædificatam fuisse, adeò vt suppresso Vincentij nomine nonnumquam S. Crucis Basilica diceretur, docet nos vnus qui instar omnium esse debet Venantius Fortunatus Presbyter in libro de Vita S. Germani Parisiorum Episcopi capite XLIII. cuius hæc verba sunt. *Item cum Parisiis ad Basilicam S. Crucis in suburbio eiusdem ciuitatis positam vir Dei processisset, mulier quadam paruulum*

in albis adhuc, ultimo flatu palpitantem & iam migraturum, ante Sanctum exposuit. Quid apertius? Quod testimonium illustrius, quod aptius ad silentium Aduersariis imponendum proferri potest? Ipsi semper ad rauim suam, & ad auditorum nauseam aut legentium auctores æquales vel supparet crepant. En auctor Gregorij æqualis, qui *Basilicam S. Crucis* vocat, quam ille *S. Vincentij Basilicam* nomine vſitatiore maluit appellare, & *in suburbano Lutecia Parisiorum sitam* fuisse eam affirmat, ne quis fortè de alia quàm de B. Vincentij Basilica ipsum locutum esse existimaret. An cessuri sunt Aduersarij? an manus daturi? an errorem suum ingenuè confessuri? Quòd si aliam quàm B. Vincentij Basilicam ab Fortunato designatam dicent, doceant me necesse est, quæ alia tum extra muros Luteciæ S. Crucis Basilica fuerit. An Basilica S. Crucis in Ciuitate? At ea, vt vel solum ipsius cognomen indicat, & vt hodiè que cernimus, in Insula, seu in vetere Lutecia Parisiorum quam Ciuitatem vocamus, posita est. An Basilica S. Crucis, quæ à vico Britonaria vbi sita est cognomen accepit? At ea

36 HADRIANI VALESII
à B. Ludouico Philippi Aug. nepote
condita esse dicitur post annos amplius
sexcentos quàm Fortunatus decessit. An
aliqua demum alia? Nominent Aduersa-
rij, si quam norunt, quæ ætate Fortuna-
ti extra muros Luteciæ eo nomine cen-
feretur. Si nullam norunt, vt profectò
nullam norunt, cui ea appellatio con-
ueniat, quid opus est verbis? quis non vi-
det *Basilicam S. Crucis in suburbio ciuitatis
Paris. positam à Fortunato dici*, quam
Fredegarius similiter *in suburbano Pari-
siorum collocauit*, sed *Ecclesiam S. Vin-
centij* maluit appellare? Basilica igitur B.
Vincentij nonnumquam S. Crucis Basi-
lica nuncupata est: quòd non modò
Vincentij Mart. præter ceteros, sed etiam
S. Crucis Reliquia ibi fuerant collocatæ,
& *Basilica ipsa erat in honorem S. Crucis ac
B. Vincentij à Childeberto Francorum
Rege constructa: quemadmodum Chil-
deberti Basilicæ auctoris litteræ & Ger-
mani Parisiorum Episcopi docent. Sed
vrgebunt me Aduersarij, & in caducum
parietem aut in arundinem fractam in-
cubuisse me dicent: amborum enim lit-
teras pro falsis, fictis, suppositiciisque
habendas esse. Equidem de Diplomate*

Childeberti, ac de Priuilegio Germani, vera sint an falsa, agere heic nolo. Res suas Monachi, libertatem suam tuebuntur, tabulas suas, sua ipsi instrumenta defendent, si volent: & profectò volent. Sed tamen concedant mihi Aduersarij necesse est, si ea suppositicia sunt, (quod sine præiudicio dictum velim) ante multa sæcula à loci Monacho vno vel etiam à pluribus esse supposita. Quis autem credat Monasterij S. Germani Monacho de Cœnobij sui origine ex professo scribenti primum & præcipuum antiquissimùmque Basilicæ Monasterij titulum incognitum fuisse, aut eum ignorare potuisse, quibus illustrata ac consecrata Reliquiis, quorum sub nominibus Deo dicata ab initio fuisset, præsertim cum à sodalibus suis facile erroris argui, facillimè corrigi posset? Certè in Historia Translationis Reliquiarum B. Germani Lantfredo Abbate factæ, quam auctor ex Carolo Magno Aug. Pippini filio accepisse se asserit, inuenio altare S. Crucis in Ecclesia B. Vincentij fuisse. *Omni congregationi, (ait ille) quod in altari quoque S. Crucis B. Stephani Reliquia essent, adhuc manebat incognitum:*

quas tamen postmodum sagax inquisitio prodidit. Hoc Altare S. Crucis & B. Stephani cognomine Matutinum aiunt vnum è præcipuis Basilicæ Vincentij Mart. altaribus fuisse, ac post translatas eò B. Antistitis Parisiaci Reliquias dictum esse S. Germani. Denique in tribus Martyrologij Vsuardi exemplaribus, quæ in Monasterio S. Germani hodie seruentur, quorum vetustissimum ferè sexcentorum annorum, alia duo quadringentorum sint, Monachi affirmant hæc legi. *x. Kalendas Ianuarij apud Nicomediam, &c. Parisius dedicatio Basilicæ in honore S. Crucis & S. Vincentij Mart. & depositio domni Childeberti Regis.* Quæ si bona fide dicuntur, aut potiùs quia verè & sincera fide dicuntur, an ea verba adiecta, inserta Vsuardo, ac intrusa esse credemus, quia in Molani exemplaribus mancis ac mutilis non exstabant? An fidem vnus hominis sequi cogemur, qui multa se apud Vsuardum transposuisse, nonnulla etiam missa fecisse, aut immutasse profiteretur?

Si quis omnis antiquitatis ignarus negaret Basilicam S. Vincentij alium vquam Patronum, vt vulgò vocant, quàm

Germanum habuisse, propterea quod haud aliter quàm B. Germani Basilicam dictam esse vidisset, (nam & Dado ipse in libri i. de Vita B. Eligij capite xxvi. eam *Basilicam S. Germani Confessoris* vocat) nonne cùm aliis, tum vel maximè Aduersariis nostris esset ludibrio? Nonne ab omnibus rideretur? Idem ipsi faciunt, in eundem ipsi errorem incidunt, quum negant eam Basilicam aliq̃ quàm Vincentio olim ædificatam fuisse, quòd non aliter quàm S. Vincentij Basilicam appellatam legerint. Falli quidem Aduersarios suprà docui, qui Basilicam S. Crucis etiam dictam esse nescierint: nunc ostendo malè eos argumentari, & argutari magis quàm ratiocinari. An ignorare viri docti debuerunt, quod narrat in Iulio Cæsare Tranquillus, Romæ *Geminis fratribus Castori atque Pollici adem in foro constitutam, tantùm Castoris vocari* consueuisse? quod studio breuitatis factitatum esse in multis aliis constat. An nesciunt Basilicam, quam S. S. Apostolis Petro & Paulo Chlodoueus Chrothildisque moliti sunt, plerumque ac ferè semper *B. Petri Basilicam* à veteribus nostris Historicis nuncupari,

& postea à sepulcro Genouefæ Virginis Basilicam B. Genouefæ nominari cœpisse? itaut quemadmodum Basilicæ S. Crucis, multisque aliis accidit, priorem titulum potiorémque appellationem tandem ex toto posterior ac nobilior aboleuerit. Si quis Paulum Apostolum negaret eius Basilicæ Patronum ac tutelam esse, quòd solummodò B. Petri Basilica diceretur: aut si quis indoctus vnius Genouefæ, cuius nomen ferret, Reliquiis ac Patrocinio consecratam affirmaret, nònne ab Aduersariis exploderetur? non sibilis conscinderetur? Quod in alio tum iriderent, ipsi nunc faciunt. Basilicam S. Dionysij vocare consueuimus, quam constat sub nomine Rustici quoque & Eleutherij Deo dicatam fuisse. Monasterium Agaunense in Valle Pennina vel Sedunensi, quod in honorem S. Martyrum Mauricij, Exsuperij, Candidi, aliorumque Thebææ legionis militum conditum est, & *Monasterium Sanctorum Agaunensium* Mario Gregorióque dicitur, postea B. Mauricij Cœnobium appellari cœpit, & ita hodiéque nuncupatur. Nònne ridiculus esset, qui dedicationis ac prioris eius appellationis ignarus,

vnus Mauricij Reliquiis, vnus Patrocinio aut titulo Monasterium illud ab origine donatum esse existimaret? Hæc est planè vis, hi nerui argumenti Adversariorum, à silentio auctorum vel à vulgari loci nomine ducti. Verbum non addo, ne doctos homines & mihi amicos erubescere cogam. Videndum nunc est, an Basilica S. Vincentij Monasterium sibi adiunctum ab exordio habuerit: quod antequàm perpendo, de vetustissimorum Franciæ Regum Palatio Parisiaco pauca dicenda sunt.

Quemadmodum in plerisque Imperij Romani vrbibus, quæ alicuius nominis claritatisque erant, sic apud Luteciam Parisiorum Imperatores & Cæsares Palatium habuerunt, vt dum prouincias suas obibant commodè habitarent, nec alieno indigerent hospicio. Sed quoniam insula parua & densis habitatorum domibus infessa locum nouo amploque ædificio non dabat, extra insulam Ciuitatémve Palatium est conditum: thermæ quoque Palatio magnificentissimæ adiunctæ. Ibi præter ceteros Iulianus Cæsar, hiemauit Datiano & Cereale Coss. ibi tertio Consulatu suo ab exer-

42 HADRIANI VALESII
citu Gallicano ex Cæsare Augustus est
factus, qui & Palatij huius auctor vul-
gò creditur, multo vt mihi videtur an-
tiquioris. Ibi Valentinianus maior pri-
mùm Consul dies aliquot; Gratiano au-
tem Nobiliss. & Dagalaifo Coss. hie-
mem egit, vt Ammianus Marcellinus &
legum subscriptiones docent. Ibi & Re-
ges Francorum post occupatam pleram-
que Galliam habitauere, Chlodoueus,
qui Luteciam Regni sedem delegit,
Childebertus, ac ceteri vsque ad Chlo-
douei iunioris filios. Certè Fortunatus
in lib. VI. carm. VIII. scribit Childeber-
tum per hortum suum, qui postea Ultro-
gothæ eius vxoris & filiarum fuit, in Bas-
ilicam S. Vincentij iter factitasse.

Hac iter eius erat, cum limina sancta petebat,

Quæ modò pro meritis incolit ille magis.

Antea nã vicibus loca sacra petebat amarus:

Nunc tamen assiduè templa beata tenet.

Quæ verba satis indicant non in alio
quàm in supradicto Palatio Childeber-
tum habitasse. Nam & hodie à Thermis
rectà per vicum Franciscanorum por-
tàmque S. Germani petitur ea Basilica: &
Chilpericum cui eadem domus erat, do-
cet Gregorius in lib. VI. cap. XXXI. ab

Ecclesia Parisiaca per plateam & pontem (minorem nimirum) Palatium repetisse. Postea Caroli Magni posterum, vel potius Comites Parisiorum, à quibus Reges nostri genus deducunt, cum Nortmannorum metu migrassent in insulam, & ibi in media Ciuitate Palatium sibi extruxissent, antiquum illud Imperatorum Romanorum ac priorum Regum Francorum domicilium, *vetus Palatium* ceptum est appellari, ut à nouo distingueretur. Ita sanè dici obseruo ab Hugone Monacho in Chronico Viceliacensi, cuius hæc sunt verba. *Exeuntibus igitur Viceliacensibus Monachis (è Palatio Regis Ludouici VII.) & populis prosequantibus, processerunt obviam illis usque ad Vetus Palatium omnes fratres Monasterij S. Germani de Pratis, & susceperunt eos cum fletu. Scilicet à Palatio Regis media in Ciuitate insulave posito per minorem Pontem & per vicos vulgò nunc dictos S. Iacobi & B. Mathurini iter facientibus Viceiacensibus Monachis occurrerunt Monachi S. Germani, per vicum vbi Franciscanorum nunc Ecclesia est, vicum Thermarum seu S. Mathurini, in quo erat vetus illud Palatium, ingressi. Tan-*

dem hocce vetus Palatium à thermis, quæ solæ ex eo supererant, *Palatium Thermarum, locum Thermarum Caesaris, vel domum Thermarum* nostri nuncupauere. Equidem cùm in litteris Gaufridi Meldorum Episcopi datis anno MCCX. lego, *in toto territorio S. Germani de Pratis ultra paruum Pontem usque ad Burgum S. Germani edificato siue edificando, ultra metas Parœcia S. Severini usque ad muros Regis habiturum perpetuò Monasterium S. Germani ius Patronatus ad construendam unam vel duas Ecclesias Parœciales*; & cùm in Willelmi Parisiorum Episcopi litteris anno MCCXXX. datis reperio, *locum cum domibus situm in Parœcia SS. Cosmæ & Damiani infra muros Domini Regis prope portam Gibardi Abbatem & Conuentum S. Germani commodauisse Fratribus Minoribus, ut ibi tamquam hospites manerent*: nomine murorum Regis muros veteres antiqui huius Palatij Regum Francorum, qui tum adhuc ex parte maiore durarent, magis quàm vrbs mœnia designari puto. Igitur in Palatio Thermarum Chlodoueus Childebertusque cùm habitarent, non ita procul ab eo loco alter ad læuam Basilicam SS. Apostolorum; alter ad

dextram Basilicam S. Crucis seu B. Vincentij condidere. Et Monachos quidem in Basilica SS. Apostolorum à conditore collocatos esse demonstrauius: superest, vt idem de B. Vincentij Basilica factum ostendamus.

Droctoueum Abbatem Fortunatus Presbyter in libri ix. Carmine xi. celebrat his versibus.

*Vir venerande, sacer meritis, & honore colende,
Droctouee, mihi semper amore pater:*

*Qui de discipulis Germani iure Beati
Norma magisterij factus es ipse sui:*

*Cuius Pontificis sacra per vestigia currens
Despicis hunc mundum, dum cupis ire polo.*

Hic est Droctoueus, qui sub Germano tum Basilicæ S. Symphoriani Abbate Augustoduni Monachus, deinde ab eodem iam Parisiorum Episcopo inde euocatus, & consentiente Rege Chlothario Basilicæ B. Vincentij Abbas est præpositus: cuius Vsuardus in Martyrologio suo, quale ab ipsomet Iohanne Molano editum est, nominatim mentionem facit.

Sexto Idus Martij Parisiis, depositio S. Droctouei Abbatis, discipuli B. Germani Episcopi. Eadem in Martyrologio Romano, à Cæsare Baronio adnotationibus illustra-

to verba leguntur. Etiamnum Monachi Parisiaci Monasterij S. Germani Droctouei huiusce Abbatis sui depositionem humationémve v. Idus Martias annua sollemnitate celebrant. Ex quibus apparet, Droctoueam à Fortunato Gregorij Turonici Episcopi æquali & ab Vsuardo memoratum, Basilicæ S. Vincentij Abbatem fuisse, & quod Aduersarij negant, ibi ab ipso auctore, videlicet Childeberto Francorum Rege Monachos esse collocatos. Sed forsitan respondebunt Aduersarij Droctoueam Abbatem quidem Fortunato dici, non tamen Basilicæ S. Vincentij Abbatem dici. Nimirum non existimauit Fortunatus post mille annos oriturum aliquem, qui id negaret, haud dubiè Parisiaci Monasterij S. Vincentij Abbatem Droctoueam appellaturus, si hoc præscire potuisset. Quid nugamur amplius? Nónne Vsuardus apertè docet Parisius Abbatem Droctoueam fuisse, cum eius ibi depositionem celebrari affirmat? Doceant ergo nos Aduersarij, cuius alijs apud Parisios Basilicæ Monasteriive Abbas Droctoueus fuerit. An Basilicæ S. Petri Abbatem fuisse eum dicent?

An S. Laurentij? Alterutrum si dixerint, sua se ipsi sententia damnabunt, fatebunturque quod antè negauerant, has Basilicas Monasteria fuisse. Si Parisiis nec in Basilica B. Petri, nec alibi quàm in B. Vincentij Basilica Droctouei Abbatibus quotannis depositio celebratur, quis præter Aduersarios dubitet eum Basilicæ S. Vincentij Abbatem fuisse, & eam Basilicam à primordiis Monasterium exstisse, quæ sub Rege Chlothario Childeberti fratre Abbatem habuerit?

Iam verò si mihi per Aduersarios licet laudare Childeberti ac Germani litteras, quas ipsi condemnant & obelisco confodiunt: (cur autem non liceat, cum facilè defendi possint?) vtrisque in litteris aut *Seruorum Dei*, aut *Abbatis & congregationis Basilicæ S. Vincentij* crebra ac disertæ fit mentio. In Diplomate quidem seu Pragmatico Childeberti: *Vt habeant ibidem Deo seruientes victum quotidianum per succedentia tempora. Item: Præcipimus ut nulla potens persona inquietare audeat famulos Dei. Et infra: Ad stipendia Seruis Dei, quos ibi instituimus, seu ad ipsos rectores, qui ipsos regere habent. Monachos autem præ ceteris Seruos Dei, vel Famulos*

to verba leguntur. Etiamnum Monachi
 Parisiaci Monasterij S. Germani Drocto-
 uei huiusce Abbatis sui depositionem
 humationemve v. Idus Martias annua
 sollemnitate celebrant. Ex quibus ap-
 paret, Droctoucum à Fortunato Grego-
 rij Turonici Episcopi æquali & ab Vsuar-
 do memoratum, Basilicæ S. Vincentij
 Abbatem fuisse, & quod Aduersarij
 negant, ibi ab ipso auctore, videlicet
 Childeberto Francorum Rege Mona-
 chos esse collocatos. Sed forsitan re-
 spondebunt Aduersarij Droctoucum
 Abbatem quidem Fortunato dici, non
 tamen Basilicæ S. Vincentij Abbatem
 dici. Nimirum non existimauit Fortuna-
 tus post mille annos oriturum aliquem,
 qui id negaret, haud dubie P-
 Monasterij S. Vincentij Abbatem Dro-
 ctoucum appellaturus, si hoc potuisse
 potuisset. Quid iugam amplius?
 Nonne videri aperit Parisiis
 ABN- cum eius
 urmat? Do-
 aliu

An S. Laurentij? Alterutrum si dixerint, sua se ipsi sententia damnabunt, fatebunturque quod antè negauerant, has Basilicas Monasteria fuisse. Si Parisiis nec in Basilica B. Petri, nec alibi quàm in B. Vincentij Basilica Droctouei Abbatibus quorannis depositio celebratur, quis præter Aduersarios dubitet eum Basilicæ S. Vincentij Abbatem fuisse, & eam Basilicam à primordiis Monasterium existisse, quæ sub Rege Chlothario Childeberti fratre Abbatem habuerit?

Iam verò si mihi per Aduersarios licet laudare Childeberti ac Germani litteras quas ipsi condemnant & obelisco diunt: (cur autem non liceat, defendi possint?) vnde in

*Servorum Dei, au
nis Basilica S. Vi
si mentio. In
Pragmatico Ch
am Rea serue
precedente*

o-
mi
nús-
cen-
eno-
viro-
am-
isque,
Ope-
tam Xe-
tensis
in-

Dei tum nuncupari consueuisse adeò certum est, vt Augustinum Monasterij sui Præpositum sociósq̄ eius Monachos, in insulam Britanniam proficiscentes ad Anglos conuertendos, Gregorius Episcopus vr̄bis Romæ in epistolis commendaticijs non aliter quàm *Seruos Dei* vocitet. Ionas, qui se Monachum tantummodò Bobiensem fuisse ipsemet docet, & tamen in Vita B. Walarici Abbas dicitur, de Vita B. Columbani Abbatis librum composuit, æqualisq̄ fuit Fredegarij, quem in iv. regni Chlodouei iunioris anno desisse, & filiis eius Chlothario Childericoque regnantibus Historiam scripsisse obseruauit atque ita demonstraui, nullus vt dubitationi locus relinquatur. Apud Ionam igitur Columbanus se & Monachos suos plerumque *Famulos Dei, & Seruos Dei* nuncupat. De quo Columbano cùm plurima eisdem verbis apud Ionam & Fredegarium reperiantur, apparet aut Ionam à Fredegario, aut Fredegarium à Iona ad verbum esse transcriptum. Childebertus itaque in litteris suis Seruorum Dei nomine Monachos designauit: similiter in Priuilegio suo Germanus Parisiorum
Epi-

Episcopus Abbatis & congregationis Basilicæ S. Crucis ac B. Vincentij sæpiùs meminit. *Abbas & congregatio deputata non perciperent* : item, *Habeat* (inquit) *Abbatem ex propria congregatione ipsa Ecclesia, qui eundem locum provideat.* Quòd si Adversarij & Diploma Regis, & B. Sacerdotis Priuilegium negant vera esse, caueant ne dum omnia & omnes impugnant, vndique ab omnibus impugnentur. Dictum est olim à Delphidio Oratore Numerium apud Iulianum Cæsarem peculatùs accusante, Ecquis nocens esse poterit, si negare suffecerit? Liceat mihi eisdem ferè verbis vti, Ecquid verum esse poterit, si negasse sufficiet? Sed de Diplomate ac de Priuilegio nunc agere, mihi non vacat ad alia properanti.

Childebertus potentissimus piissimùsque Rex non Basilicam modò S. Vincentij Luteciæ Parisiorum, sed etiam Xenodochium Lugduni, & Monasterium virorum Arelati condidit, multisque & amplissimis latifundiis possessionibusque, multis etiam priuilegiis donauit. Operæpretium est cognoscere, quantam Xenodochij, & Monasterij sui Arelatensis curam egerit, vt quid de Basilica S. Vin-

centij sentiendum sit, facilius omnes intelligant. Hæc sunt igitur, quæ Childebertus anno regni sui xxxviii. Christi d x l i x. Indictione x i i i. ab Episcopis compluribus in Concilio Aurelianensi V. Canone xv. de Xenodochio Lugdunensi decernenda curavit. *De Xenodochio, quod piissimus Rex Childebertus vel iugalis sua Vltrogotho Regina in Lugdunensi vrbe condiderunt, cuius institutionis ordinem vel expensæ rationem, petentibus ipsis, manuum nostrarum subscriptione firmavimus, visum est nobis decernere, ut quidquid prefato Xenodochio aut per supradictorum Regum oblationem, aut per quorumcumque Fidelium elemosynam collatum aut conferendum est in quibuscumque rebus atque corporibus, nihil exinde ad se quolibet tempore Antistes Ecclesie Lugdunensis reuocet, aut adius Ecclesie transferat: ut succedentes sibi per temporum ordinem Sacerdotes non solum aut de facultate Xenodochij, aut de consuetudine vel institutione nihil minuunt, sed dent operam, qualiter rei ipsius stabilitas in nullam partem detrimentum patiatur: providentes, ut Præpositi semper strenui ac Deum timentes decedentibus substituantur, & cura egrotantium ac numerus, vel exceptio peregrinorum se-*

*cundum inditam institutionem inuiolabili semper stabilitate permaneat. Quòd si quis quolibet tempore cuiuslibet potestatis vel ordinis contra hanc constitutionem nostram venire tentauerit, aut aliquid de consuetudine vel facultate Xenodochij abstulerit, ut Xenodochium (quod auertat Deus) esse desinat, ut necator pauperum irreuocabili anathemate feriatur. Et Gregorius Episcopus Romanus in epistola ad Virgilium Arelatensem Episcopum; quæ libri vii. centesima quintadecima est, Childeberti Monasterio Arelatensi concessa à Vigilio PP. priuilegia confirmat, atque sic scribit. *Gloriosæ memorie Childebertus Francorum Rex Catholica Religionis amore succensus, intra muros Arelatensis ciuitatis Monasterium virorum, ut scripto reperimus, pro sua mercede constituens, quadam ibidem pro habitantium sustentatione concessit. Cuius ne voluntas umquam duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete Monachorum disposita fuerant turbarentur, quæcumque contulit in ius eiusdem Monasterij, epistolis suis Apostolica petiit auctoritate firmari: hoc quoque suæ petitioni subiungens, ut eidem Monasterio tam in dispositione rerum quàm in ordinatione Abbatis quadam pariter priuilegia largiretur.**

Vnde quid effectum & Regia voluntas & res valdè desiderata poscebat, à prædecessore nostro Vigilio Rom. Sedis Antistite ad prædecessorem vestrum Aurelianum scripta transmissa sunt, ubi omnia quæ amplectendæ voluntatis studium deposcebat, Apostolica auctoritatis libenter annisu firmata sunt, cuius scripta his prouidimus scriptis adiungi. Quibus lectione percursis hortamur, ut omnia inuiolata conserues, nihilque illi de indebitis, nihil permittas de illicitis irrogari, nec ea quæpiam patiaris usurpatione conuelli. Nam licet ea quæ semel Apostolica Sedis auctoritate sancita sunt, nihil egeant firmitatis, ex abundantia tamen nostra cuncta, quæ pro huius rei quiete à prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterum auctoritate roboramus.

Ex his duo præcipuè colligo. Primum est. Si Childebertus Monasterio suo Arelatensi in dispositione rerum & in ordinatione Abbatis magna à Vigilio Episcopo Romano priuilegia, magna & Xenodochio suo Lugdunensi ab Episcopis Gallicanis atque ab ipso etiam Sacerdote Lugduni Antistite danda curauit: si bona Xenodochij ad ius Ecclesiæ pertinere, & consuetudinem institutionemque eius ab Episcoporum Lugdun. voluntate pen-

dere noluit, quis miretur eundem Principem multo maiora priuilegia Basilicæ S. Vincentij, quam apud urbem Regiam prope Palatium suum extruxerat, concessisse aut concedenda curauisse, ac Germano etiam Parisiorum Episcopo persuasisse, vt ditioni suæ ac successorum suorum hanc Basilicam eximeret? quod non multis post ipsius obitum annis pius Antistes perfecit.

Alterum, quod colligo vel potiùs quod ex superiore Canone & ex epistola Gregorij duco, argumentum tale est. Cùm Xenodochium Lugduni, & Monasterium Arelati Childebertus certò condiderit, nonne apparet ad Basilicam S. Vincentij, quam idem Princeps apud Luteciam Parisiorum ædificauit, aut Monasterium, aut saltem Xenodochium ab origine fuisse oportere? At Xenodochium nõ fuit: Monasterium ergo fuerit necesse est. Constat enim Reges nostros atque Reginas, tum si qua loca sacra dotare ac ditare vellent, aut Monasteria, aut (quod tamen rarius) Xenodochia extruere consueuisse. Certè Chloduens in Basilica S. Petri, Sigibertus in Basilica B. Medardi, & Guntchramnus

54 HADRIANI VALESII
in Basilica S. Marcelli Monachos collo-
cauere : Brunichildis quoque Monaste-
rium S. Martini in suburbano Augusto-
dunensi ; Monasterium puellarum , &
Xenodochium cui suus Abbas præffet,
Augustoduni struxit : Dagobertus Basi-
licam S. Dionysij vnà cum Monasterio
condidit : Sigibertus iunior XII. Cœno-
bia variis in locis, inprimis Monasterium
S. Martini extra muros Mettenses; Theo-
doricus eius fratris filius S. Vedasti Cœ-
nobium Arrebatis extruxit: qui omnes
in sui quisque Monasterij Basilica sunt
sepulti. Si igitur Reges nostri etiam in
urbibus rarò sibi adeundis ac remotis
Monasteria condiderunt, vt essent plu-
rimi, qui pro ipsorum & viuorum sa-
lute & mortuorum requie Deum assidue
precarentur: quid Childebertum, cum
Luteciæ non longè à Palatio suo Basi-
licam B. Vincentij ædificaret, quam sæ-
pissime aditurus, vbi demum sepelien-
dus erat, quid inquam aliud quàm Mo-
nasterium condidisse putandum est?

Dicant ipsi Aduersarij, quid Basilica
Vincentij Martyris fuerit, si vti aiunt
Monasterium ab exordio non fuit. An
titulus fuit, cui Presbyter cum pau-

culis Clericis (vt vulgari vtar verbo) esset inordinatus? Scilicet! qui Xenodochium & Monasterium alibi condidit, apud Luteciam Ecclesiam tantum Parœcialem exstruxerit, in qua sepeliretur. Quis non videt hoc infra Regiam magnificentiam esse, nec à Regibus Parœciales Ecclesias, sed Basilicas vnà cum Monasteriis statui consueuisse? An vni alterive Presbytero & paucis Clericis tot opes, tot & tantas villas Regias Childebertus collaturus fuit, quot & quantas Basilicæ S. Vincentij constat ab eo esse collatas? An Oratorium fuit, quale Luteciæ S. Martini Oratorium principatu Guntchramni erat? Quis hoc dicere auserit, cum Basilica plerumque egregiam aliquam ac elegantem Ecclesiam significet, nec à maximo Rege exiguum aliquod Luteciæ Oratorium exstructum, ac magnis possessionibus dotatum fuisse, ac tot & tantos Reges in Oratoriolo sepeliri voluisse verisimile sit? An congregatio Canonorum in Basilica S. Vincentij à Childeberto est constituta? Doceant nos Aduersarij auctoritate æqualium suppariumve saltem scriptorum, tum collegium Canonorum ibi

56 HADRIANI VALESII
floruisse. Si igitur ab origine nec Xenodochium, nec Parœcialis Ecclesia, nec Oratorium, nec congregatio Canonico-
rum fuit Basilica S. Vincentij, quid aliud quàm Monasterium esse potuit? immò verò quid aliud quàm Monasterium fuit?

Ceterùm vt Aduersarij nesciunt, quid primùm Basilica Vincentij Mart. fuerit, quum eam ab origine fuisse Monasterium negant: ita etiam nesciunt, & nescire se ipsi ingenuè profitentur, quando primùm Monasterium fuerit. Quo quid prodigij similis, quid incredibilius fingi aut excogitari potest, homines aliquos reperiri nec ingenij nec doctrinæ expertes, qui docere nos velint quid Basilica S. Vincentij Mart. fuerit, & tamen ignorent quid fuerit: qui Childebertum auctorem huius Monasterij fuisse negent, & tamen alium Cœnobij conditorem inuenire non valeant. Quî autem valeant, cum eum quærât vbi numquam sunt re-
perturi. Si quis in Hadriani A. temporibus res gestas Luculli aut Pompeij tamquam tum viuentium quærat, frustra omnino quærat, quos multo ante Hadriani principatum floruisse constat. Si quis caput fluminis quod videat, præ-

fractè neget verum esse fluuij caput, & vlteriùs progressus, ac montana planáque perlustrans alium amnis fontem quærat, nonne operam est perditurus? nonne frustra se & suos exploratores fatigaturus? non denique risum moturus? Idem planè Aduersarij nostri faciunt, qui dum veram Monasterij S. Vincentij originem pro suppositicia habent, verum ac germanum auctorem qui ante oculos est non agnoscunt, ad inferiora tempora transeundo, & Annales vel potiùs Annalium indices nequidquam euoluendo, semper & vbique quærunt, quod numquam & nusquam sunt inuenturi. Nihilominùs tamen si quis alius quàm Childebertus in Basilica S. Vincentij Monachos collocasset, vt alter auctor & conditor loci ditatorque Childeberto ipsi præferendus, haud dubiè ab nostris Historicis esset nominatus, qui omnes Monasteriorum & Cellularum omnium etiam ignobilium conditores magna cum cura diligentiaque commemorant. Quod de Basilica B. Vincentij dixi, idem de ceteris apud Gregorium nostrum Basilicis plerisque dictum puta, quas Aduersarij nostri Monasteria qui-

dem ab origine fuisse negant: quando verò Cœnobia esse cœperint, aut quid fuerint antequàm Monachos acciperent ignorât. Miseret me planè eorum hominum, qui suis regulis, sua arte, quam velut Lydium lapidem ad explorandum verum habere se iactitant, id vnum consequuntur, vt ferè de omnibus dubitent, si æquales scriptores aut suppare desint, ne grauissimis quidem doctissimisque & diligentissimis auctoribus credant, & per nimiam subtilitatem densissimis se incertitudinis tenebris inuoluant.

Non cedunt tamen Aduersarij, immò verò vrgent & instant tamquam iam victores, aut certè victuri. Aiunt nec Gregorium, nec Fredegarium, nec Auctorem Gestorum Francorum memoriæ tradidisse, in Basilica S. Vincentij Monachos à Childeberto esse constitutos: & cùm exsequias Principum qui ibi sepulti sunt describerent, de Abbate & Monachis loci verbum non fecisse. Gregorius quidem & Fredegarius & auctor Gestorum Francorum non dicunt in Basilica S. Vincentij Monachos à Childeberto esse collocatos, sed non etiam dicunt minimè esse collocatos. Haud igitur magis opi-

nionem Aduersariorum hi tres auctores quàm nostram adiuuant, immò nostram multo magis: cùm ostenderimus Monasteria à Gregorio præter ceteros sæpe Basilicarum nomine designari. Quod autem asserunt exsequias Regum ab his tribus Historicis describi, id ego qui per tot annos rerum Francicarum scriptores euoluo, obseruare non memini. Tribus aut quatuor verbis rem plerumque faciunt, scripsisse contenti, Childebertum cum vxore Vltrogotha vel Vltrogothone, Chilpericum & Fredegundem, tresque eorum filios, Meroueam nimirum, Chlodoueam, & Chlotharium iuniorem Francorum Regem in Basilica S. Vincentij Martyris sepultos esse. Vnum ex his Chlodoueam Chilperici ex Audouera filium excipio, cuius exsequias Gregorius vno versu enarrasse videri potest, quum ait *Guntchramnum Episcopo ciuitatis Ragnemodo Cleroque & populo conuocatis, cum cereis innumerabilibus corpus Chlodouei in Basilicam S. Vincentij sepeliendum detulisse. Ceteros ipse & Fredegarius ibi humatos esse tantummodò dicunt: in primis Childebertum in Basilica S. Vincentij Mart. quam extruxe-*

rat sepultum fuisse scribunt, quòd videlicet qui in ipsa Basilica seu Ecclesia Monasterij humatus esset, in Monasterio sepultus dici propriè loquentibus non posset. Sed saltem (inquiunt) Abbatis & Monachorum loci fieri mentionem oportuit, qui interfuerint exsequiis Regum qui ibi sepulti sunt, & hymnis ex more psalmisque eos Domino commendauerint: at nulla fit Monachorum à Gregorio Fredegarioque mentio: nulli ergo ibi tum fuerunt. Oportuerat quidem Abbatis & Monachorum Basilicæ S. Vincentij à Gregorio, aut saltem à Fredegario mentionem fieri, vt incredulorum & omnia infitiantium ora obstruerentur, & ne nunc esset inter nos ea de re vlla contentio. Sed si ita argumentari licet, confidentissimè affirmabimus nec Germanum Parisiorum Episcopum, nec Clerum Parisiacum, nec Optimates & populum Childeberti (ne de ceteris loquar) maximi pientissimi que Principis exsequias celebrauisse; non cruces prælatas; non cereos accensos; non hymnos psalmisque decantatos; nulla denique pro eo Missarum sollempnia peracta, nullum sacrificium pro quiete mortui obla-

tum fuisse: quæ omnia tam certum est facta esse, quàm constat à Gregorio & à Fredegario omissa esse: quæ si quis neget, risum sit moturus. Annon potiori iure nos, quum B. Germanum, & Regem Chilpericum *cum hymnis & psallentio maximo* in B. Vincentij Mart. Basilica sepultos esse, in Gestis Francorum inuenimus, Monachos ibi loci præ ceteris psalmos hymnósque cecinisse dicemus? Sunt igitur aliqua, quæ etsi ab auctoribus omissa ac præterita sunt, tamen predictis haberi debent. Plerique Historici magnorum Regum ac Ducum bella resque gestas ita enarrant, vt interiorum eorum vitam, cenas & noctes velut minutias prætermittant. Ideóne Reges illos ac duces numquam cenasse cum coniugibus & liberis & amicis, numquam liberos quæsisse, numquam serias & occupationes suas iocis ludis que aut remissione animi temperauisse credemus? Heic latissimus mihi campus aperitur: sed non is sum, qui cuiquam, nedum viris doctis & amicis insultem, & impero mihi licet lacessitus, & velut per alienum latus petitus.

Antequàm hoc caput finiam, notare conuenit, quæ à nemine hæctenus obser-

uata miror, Monasterium S. Germani Autissiodurensis Episcopi Luteciæ Parisiorum, & Monasterium S. Germani Parisiorum quondam Episcopi in silua Ledia à Rotberto Francorum Rege ædificata esse. *In Ciuitate Parisius* (inquit Helgaldus) *adificauit Ecclesiam in honore S. Nicolai Pontificis in Palatio: & Monasterium S. Germani Autissiodorensis: item Monasterium S. Germani Parisiacensis cum Ecclesia S. Vincentij in silua cognominata Ledia.* Quod Monasterium S. Germani Parisiaci in Ledia loco nomen dedit, qui hodièque vicus S. Germani in Laia vocatur. At Iacobus Brolius, vir alioquin nec indoctus nec contemnendus, cum Helgaldi verba malè interpuncta truncaret nec intelligeret, existimauit Parisiacum Monasterium S. Germani Parisiensis Antistitis à Rotberto Rege Francorum reparatum & resectum esse, idque Helgaldum scribere. Monasterium autem S. Germani Autissiodurensis nunc bifariam diuisum est, & Canoniorum quos sæculares vocant vetus Collegium, ac simul Ecclesiam Parœcialem continet, noménque antiquum seruat S. Germani Autissiodurensis: vt sciant deinceps loci

Cánonici, quo debeant auctore gloriari. Ecclesia denique S. Nicolai Episcopi Myrorum in Palatio, quod in media Ciuitate à Regibus, aut certè à Rotberti maioribus structum fuerat, Oratorium potius quàm Ecclesia fuit, qualia loca vulgè Capellas vocamus. Vnde Galterus Cornutus Senonicus Archiepiscopus *in Regis Palatio collocatam anno MCCXXXIX. in Capella Regia B. Nicolai cum multo gaudio Domini coronam* scribit: quæ Ecclesia vel Oratorium priusquàm conderetur, Ecclesiam Bartholomæi Apostoli ante fores Palatij, nonnumquam à corpore B. Episcopi Dolensis eò delato *Ecclesiam S. Maglorij* dictam, Regalem Capellam fuisse inuenio. Hodièque in Palatij inferiore Capella, vt appellant, altare quoddam B. Nicolai Episcopi titulo censetur. Ex quo apparet Ecclesiolam hanc Palatinam B. Nicolai nihil ad Parœciam Ecclesiam S. Nicolai Campensis pertinere, & errasse Iacobum Brolium aliósque, qui Regem Rotbertum extra urbem Palatium suum habuisse, vbi Ecclesiam Baptismalem S. Nicolai conderit, putauerunt.

Dilucidè me arbitror demonstrasse, B.

Vincentij Basilicam S. Crucidicatam simul, & Basilicam S. Crucis vocatam fuisse, Monachosque ab origine habuisse, & quidquid contrà dicitur, nullius planè esse momenti. Idem nunc de Basilica S. Medardi docendum est.

In Basilica S. Medardi Monachos ab origine fuisse: nec solis auctoribus æqualibus supparibusve esse credendum.

CAPUT VI.

BASILICÆ S. Vincentij à Childeberto conditæ ordine suo succedere debet Basilica, quam Chlotharius eius frater natus minimus paullo ante mortem B. Medardo Nouiomagensi Episcopo apud Sueffionas Regiam suam ædificare cœpit, ac fato præventus Sigiberto filio perficiendam reliquit.

Medardum Chlotharius Rex Sueffionis gloriosè sepeliuit, tribuens illic multas facultates: quemadmodum prodit auctor Gestorum Francorum in capite xxix. Hanc Gregorius noster Basilicam B. Medardi vocat: ibi Chlotharium maiorem Francorum Regem à quatuor filiis, & iuxta
cum

eum Sigibertum filium, loci conditores
 ac auctores sepultos esse scribit, atque
 huic Basilicæ villas fiscales in pago Sues-
 sionico positas, quas Godino propter
 prodicionem ademerat, Chilpericum Si-
 giberti fratrem contulisse. Idem auctor
 in libro de Gloria Confessorum tradit
*Medardum gloriosum Confessorem iuxta ur-
 bem Suesionicam quiescere, adificatioque &
 dedicato templo super sepulcrum eius, Cellu-
 lam minutis contextam virgultis fuisse amo-
 tam.* Ita ergo Historicorum nostrorum
 vetustissimus de Basilica S. Medardi re-
 fert, *Monasterium* nusquam appellans:
 ex quo Aduersarij colligunt eam Basili-
 cam ab exordiis Monachos non habuisse.

Equidem etsi satis superque demon-
 strauerim Basilicæ & Cellæ nominibus
 sæpissimè à Gregorio præ ceteris Mona-
 sterium designari, idque sufficere possit
 vel peruicacibus & obstinatis, tamen vt
 singillatim facere de multis Basilicis cœ-
 pi, ostendere nunc volo, à Rege Sigi-
 berto in Basilica S. Medardi quam con-
 summauit Monachos fuisse collocatos.
 Legi in Codice Musciaci Monasterij Vi-
 tam S. Medardi breuissimam ac omnium
 fortasse vetustissimam, regnante Theo-

deberto iuniore Sigiberti nepote à loci Monacho contextam. Iohannes à Bosco vir doctus è Bibliotheca Floriacensis Monasterij eruit atque vulgavit librum de Vita S. Medardi Episcopi, in xxxviii. capita diuisum, qui in scripto Codice Fortunato Presbytero tribuitur, & cuius in fine hæc verba leguntur. *Explicit Fortunati Presbyteri liber unicus de Vita S. Medardi Episcopi & Confess. recitatus populo in ipsius festo.* In eius libri capite xxv. de mulierculæ manu arida ad Medardi tumulum curata ita auctor commemorat. *Cùm comperisset ad Sancti memoriam creberrimè agrotantes concurrere, ad locum toto orbe venerandum peruenit anhela. Inter promiscuas verò turmas, sacras eadem qua aduenit nocte vigilias continuauit, & sequentem diem cum pluribus festiuum in diuinis exegit laudibus. Sed dum fraterna cæterua sacrosancta publicè Missarum sollemnia percoleret, ecce nerui protendi, & eximprovisò acsi inanimata cæpit species animari.* Interrogo Aduersarios, quid aliud fuerit illa *Fratrum cæterua* quàm congregatio Monachorum, quos passim Fratres & tum & postea à Laïcis dictos esse, & nunc nobis, Italisque ac Hispanis ita vulgò

nuncupari cuncti norunt, propterea quòd ipsi inter se Monachi ita se compellare consuevere: hoc utique nomine Clerici propriè designari non solent. Laurentius Surius doctrina iudiciòque præstans Vitam S. Medardi aliam non paucis ante Iohannem à Bosco annis edidit, cuius auctorem fuisse quidem Fortunatum Presbyterum asserit, sed à docto quodam viro non pauca memoriâ digna ei post adiecta esse. In eius vitæ capite xx i. hæc legimus de Chlothario maiore Francorum Rege Medardum ægrotantem & mox moriturum vivente. *Cuius sententia Rex resistens, Suesionas eum constituit transferendum, asserens se super corpus eius Basilicam decenter edificaturum, & Cænobialem Servorum Dei regulam ordinaturum. Cessit igitur Beatus Pontifex Regiæ dispositioni. Et capite xxxiii. Sigibertus admirabili diversi generis lapidum constructione, secundum quod à patre suo susceperat, Ecclesiam illam decoravit; auro, & argento, ac ornamentorum varietatibus abundanter exornavit; censu & redditibus affluenter & excellentissimè ditavit. Eleganter verò Ecclesiâ compositâ, elegantiores ibi sacri Ordinis ordinavit personas, quò*

& patris sui votum benignissimè completeret,
 & inibi Deo Ecclesiasticum officium ex debito
 pro sua & patris sui omniumque Fidelium sa-
 lute perenniter exhiberetur. Denique in ca-
 pite XL. Cum iam ipse locus multa haberet
 tur venerationis, Warinbertus post venera-
 bilis Auberti decessum Regia praeceptione re-
 gendum idem Cœnobiale suscepit Monaste-
 rium: quo cum aliquot potitus esset annis,
 Draufionem Suesionicum Episcopum contigit
 excedere. Post eius autem inferias unanimi
 consilio Regis & civium Warinbertum hunc
 cathedræ illi Pontificali rectorem substituunt.
 Adeptus ergo regimen Episcopale, multo ela-
 borabat studio, ne priori priuaretur dignitates
 & obtinuit quod malè quæsierat. Addit au-
 ctor, quidquid à Regibus & ab aliis Fi-
 delibus loco sancto datum fuerat, in-
 primis prædium Regale in pago Ceno-
 manico nomine Maduallem, id est Bon-
 namuallem, quod Sigibertus Rex ei quam-
 ibi Domino aggregauerat congregationi præ-
 ter multa beneficia delegârat, Warin-
 bertum Episcopum & Abbatem sibi vin-
 dicasse, neglectis Monachis, quos Ser-
 uos Dei, & Fratres, & spiritalem congrega-
 tionem, ac S. Presulis familiam vocat. Ea-
 dem de Warinberto Draufionis succes-

fore ac simul Abbate Monasterij S. Medardi narrantur in Sermone veteri Monachi eius loci, quem Iohannes à Bosco vulgavit. Hæc postquam Aduersarij legerint, an negabunt amplius in B. Medardi Basilica Monachos à Sigiberto esse collocatos? Si negare perseverabunt, doceant nos, quid rei fuerit. An dicent Presbyterum Cardinalem cum pauculis Clericis eo in loco constitutum, quem maximi potentissimique Reges magnificentissime extruxerunt, quem tot prædiis, tot villis Regiis amplissimis ditauerunt, quem sepulcro etiam suo honorare, ubi pro anima sua semper à multis religiosis viris Deum orari voluerunt? Cui hoc vniquam in mentem veniat? aut quæ Parœcialis Ecclesia reperietur, cui Reges nostri tot & tanta contulerint, quam corporis sui sedem delogerint? Doceant nos viri doctissimi, quando Monasterium esse cœperit Basilica S. Medardi, quam Draufione Sueffionicam Ecclesiam regente, regnantibus Chlodouei iunioris liberis, hoc est post Sigiberti Basilicæ fundatoris mortem annis non amplius octoginta. Abbatem vident habuisse, quam postea adeò flo-

ruisse constat, ut in veteri Chronico scripto ibi Pippinum à Bonifacio Archiep. Regem vinctum fuisse repererim, & ut Ludovicus Pius Aug. Monasterium Stephani Protomartyris Cauciacum ei donauerit. Si id nos docere non possunt, (& certè non possunt) ingenuè fateri debent, Basilicam S. Medardi suos ab origine Monachos, suum Abbatem habuisse. Quos enim alios ædituos habere potuisset locus sepulcro Domini Medardi illustris, per quem multa admirabilia Deum fecisse Nicetius Treuirorum Episcopus Gregoriusque testantur; cuius ad tumulum Chlodobertum filium Chilpericus ac Fredegundis ægrotum deposuere, ac vota pro salute eius fecere: cuius ad tumulum præter ceteros Godinus, Warnacharij Maioris quondam domus per Burgundiam filius, iussus iuravit se Regi Chlothario iuniori semper fidelem futurum. Omittere nec volo nec possum alterum testimonium scriptoris, cuius quàm incertum nomen tam auctoritas certa est, qui libellum de Vita Balthildis regnantibus eius ex Chlodoueo iunioris filiis composuit. Is ita apud Bollandum scribit. *Per precipuas*

Sanctorum Basilicas, Dionysij, Germani, Medardi, S. Petri, Domni Anniani, S. Martini, vel ubicumque eius potuit notitia pertingere, Pontificibus, seu Abbatibus suadendo præcepit per epistolas, ut sub S. regulari ordine Fratres in ipsis locis consistentes vivere deberent: & ut libenter acquiescerent, priuilegium eis Religionis firmari à filiis fecit, & immunitates eis concessit. Quibus ex verbis cognoscitur regente Neultriam Burgundiámque propter ætatem Chlotharij filij Balthilde, hoc est circa annum D C L X. non modò in Basilica Domini Medardi apud Sueffionas, sed etiam in Basilicis B. Dionysij apud Parisios, B. Germani Autissioduri, S. Anniani Aurelianis, Martini Turonis, Petri Apostoli Parisiis Fratres, id est Monachos fuisse, Abbatibus subiectos, & regulæ seruantes, & magnis priuilegiis immunitatibusque gaudentes. Sed forsitan Aduersarij nostri, ut sunt minimè omnium creduli, propterea quòd legerunt sapientis esse, non temerè credere, de auctorum nostrorum fide dubitabunt, negabuntque Fortunati esse librum de Vita B. Medardi, qui Fortunato tribuatur: scriptori autem Vitæ Balthildis, cum nec æ-

72 HADRIANI VALESII
qualis, nec suppar fuerit, fidem haberi
nolent. Ego ne ipse quidem facile affir-
mauerim, Vitam B. Medardi quam Io-
hannes à Bosco edidit, multo minùs Su-
rianam Fortunati esse. Nam Fortunatus
gaudet antithetis, & acumine sententia-
rum, pressóque ac velut torto genere
orationis utitur: quorum omnium nec
vola nec vestigium ibi exstat. Præterea
quidam Monachus Monasterij S. Me-
dardi, qui vixit post incensam à Sigifri-
do Nortmannorum Rege nobilissimam
huiusce Cœnobij Basilicam Ludouici
Pij Aug. opus, (anno autem DCCCXXC-
VI. vel certè DCCCXXCVIII. incensa
est) asserit Vitam B. Medardi, quam
Fortunatus paucis attigerat, & librum
de Virtutibus ac Translatione eius in-
culto sermone compositum, in vnum
corpus à quodam coacta, & fusiore ac
elegantiore stilo amplificata esse. Sed
tamen veterem esse Vitam hanc, & à
vetere ac fido auctore litteris manda-
tam dubitari non potest, nec res, sed
verba tantùm fuisse mutata. Quare de-
finant Aduersarij more suo à scholis ac-
cepto omnia negare, sciántque quidli-
bet infitari facillimè posse vel indoctis.

simos, nec tam eam esse artem inuestigandi veri, quàm falsi defendendi rationem.

Quòd verò nobis toties æquales auctores & supparet crepant, nec aliis credituros se aiunt, id faciunt, ut liberè & impunè velut ex præscripto maiorum negare quidquid libet possint. Quàm multa enim sunt verissima, & pro certissimis indubitatísque habenda, quæ tamen nullâ æqualium, nullâ supparium scriptorum auctoritate nituntur? Quot & quanta vetustorum Auctorum volumina æuum consumsit, à quibus pleraque recentiores acceperunt? Nullus auctor æqualis, aut etiam suppar eiusdemve sæculi scriptor Petrum Apostolum Romam venisse, ibique post fundatam Ecclesiam vitam Martyrio consummauisse tradidit: & tamen quis nisi hæreticus indoctus ea de re dubitet? Beatorum Geruasij & Protasij ne nominibus quidem antè notorum Reliquias & acta primus omnium Mediolani reperit Ambrosius Theodosij principatu: & nihilominus tamen Episcopo tot annis à geminorum fratrum ætate distincto de amborum Martyrum vita & gloriosa morte tota

credit Ecclesia. Quot libri cremandi,
 quot doctissimorum hominum opera
 exurenda, si nullorum aliorum quàm æ-
 qualium aut supparium scriptorum ha-
 benda ratio est? Quotus enim quisque
 de suæ solùm ætatis rebus aut ætati suæ
 proximis scripsit? Moses Genesin finit
 morte Iosepi, qui anno ætatis cx. mun-
 di MCCCVIII. decessisse fertur: ipse an-
 no æt. cxx. mundi MCCCXCIII.
 diem obiit. Si igitur solis scriptoribus
 æqualibus, aut saltem supparibus cre-
 dendum, ne Mosi quidem credendum
 ab orbe condito ordienti. Quid de He-
 rodoto dicemus, qui ducentorum & qua-
 draginta annorum scripsit Historiam?
 Quid de Xenophonte Cyri maioris ge-
 sta narrante? An Sempronium Asellio-
 nem, Tuberonem, Cassium Heminam,
 Fabium Pictorem, & nescio quos alios
 tetricos ac salebrosos cascas Tito Livio
 præferemus? Et ille tamen à primordio
 Urbis res populi Romani perscripsit, su-
 pra septingentesimum annum repetitas.
 An in Trogo Pompeio parvam affirma-
 bimus factam esse iacturam, quòd eius
 libris omnium sæculorum, Regum, na-
 tionum res originésque continebantur?

Quid Dionysio Halicarnassensi facie-
mus, qui cum Octavij Augusti princi-
patu vixerit, Historiam Romanam à
prima Gentis origine vsque ad annum
Vrbis ccccxcviii. deducere ausus est?
An Plutarchum asseremus nugatum esse,
quum vitas tot clarissimorum sed admo-
dum antiquorum virorum ab iniuria o-
bliuionis asseruit? An Curtium, Arria-
numque nugatos, quum de Alexandro
scripsere? Quid de Dione Cassio statue-
mus, qui ab Vrbe condita ad Alexan-
drum Seuerum Aug. Historiam perdu-
xit? cuius utinam non postrema modò,
sed etiam priora exstarent volumina?
An Ammianum Marcellinum asperna-
bimur, res Romanas ab exortu Neruæ
ad Valentis Aug. mortem xxxi. libris
complexum? è quibus xiiii. priores si
quis reperisset, maximum se thesaurum
inuenisse, verè gloriari posset. An Zosi-
mum parui faciemus, quòd ab Octavij
Cæsaris Augusti principatu ad Hono-
rium Aug. res Imperij Romani perscri-
pserit? An Gregorius Florentius noster
Childerici ac Chlodouei Regum, de
quibus retulit, temporibus æqualis fuit?
an vel eisdem suppar? Quis eum tamen

neget audiendum, quo antiquiorem Historicum non habemus? Quantum Beda abfuit ab Anglorum & Saxonum in insulam Britanniam aduentu? & tamen quanti etiam in antiquissimis faciendus sit, nemo nescit. Num Reginonem, Hermannum, Sigebertum, in sui quemque sæculi tantum rebus sequemur, negligemus in ceteris? Longum esset ire per singulos. Num qui priore sæculo, & qui nostra ætate res Francicas ab origine repetitas scripsere, viri docti frustra scripserunt? An nos ipsi, qui per tot annos (absit invidia) origines ac gesta Francorum plurimis & rarissimis observationibus illustramus, qui res vetustate obsoletas & magna ex parte incognitas neque intellectas cum fide diligentiaque persequimur, oleum & operam perdimus, nec quidquam lucubramus, quod studiosis posteris utilitatem voluptatemque sit præbiturum? Nonne quotidie vetera ingeniorum monumenta, chartæ ferè exsiccæ, tabulæ multorum sæculorum victrices, membranae longo ævo retrita, codices & cortices scripti è bibliothecis, è chartariis, è tenebris eruuntur, quorum ope & beneficio innotescunt, quæ anti-

quitas aut ignorauerat aut prætermiserat?

Multa dies, variusque labor mutabilis eui

Retulit in melius.

Quare (vix ait Liuius) noui semper scriptores aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt: & non falsò aut sine causa credunt. Quin & Pomponio Mellæ Cornelius Nepos vt recentior auctor, ita & certior dicitur, & merito dicitur. Discant ergo Aduersarij, à nouis auctoribus præsertim renarrantibus non raro certiora melioraque quàm à veteribus afferri, dum nouis subsidijs ac velut aduenticijs auxilijs adiuti, meditatione & indefesso studio densas antiquitatis tenebras percurrunt, dant obscuris lucem, dubiis fidem, & quæ diutissimè latuerant, tamquam auri venas aperiunt. Ipsi Aduersarij, qui adeò sunt delicati stomachi ac fastidiosi, vt scriptores nisi æquales aut superiores ferre non possint, quum exempli gratiâ negant Regem Dagobertum Basilicam S. Dionysij tumulo illustrem Monasteriùmque extra Luteciam condidisse, nonne se æqualibus & superioribus Historicis præponunt, qui id disertis verbis affirmare? Quoties negant Basilica-

lum nomine à Gregorio Monasteria designari, nonne Gregorio ipsi se præferunt, à quo sæpe Basilicarum Abbates commemorantur? Quum iidem Seueri Sulpicij & Gregorij Florentij testimoniis, variisque Martyrologiis prolatis post multos alios demonstrant Dionysium Parisiorum Episcopum ab Dionysio Arcopagita I. Atheniensium Episcopo distinguendum esse, cur Sulpicio & Gregorio de re tam veteri credi volunt, si ut aiunt, solis auctoribus æqualibus aut supparibus fides habenda est? Quoties graues veterum Historicorum errores recentissimi, sed diligentissimi correxere? Quoties animaduertimus aliqua fieri non potuisse, quo tempore, quo loco, quaque ratione apud priscos scriptores facta esse dicuntur? Denique qui temporum suorum contexunt Historiam, plerique venalem habent calamum, & à Principibus velut operæ mercede conductæ atro se corrumpi patiuntur. Alios amor, aut libido assentandi; alios odium transuersos agit, & à recto tramite procul abducit. Sæpe quæ sentiunt dicere; quæ optimè sciunt, ita ut sciunt referre prohibentur: quæ posteris amoris, liuoris,

ac metus expertes, liberè & sincera ac incorrupta fide commemorant. Dicit heic aliquis. Tu ergo veteres Historicos spernis ac recentibus postponis. Absit ut contemnam: absit ut postponam. Tantùm ostendere volui Auctorum, pro suo cuiusque merito, habendam esse rationem; nec ætatem nouo scriptori prisca narranti obesse oportere, ac sæpe ex recentioribus disci, quæ apud veteres frustra quæsieris. Itaque qui verum inuestigant, æquales maximè aut suppare auctores sequi debent, si graues & docti sint: si æquales atque etiam suppare defunt, ad proximos quosque supparibus est decurrendum: deficientibus & proximis, ad insequentes & posteriores necessariò veniendum. Ex posterioribus recentioribusve sequenda est præcipuè eorum auctoritas & fides, qui iudicio, doctrina, diligentiaque præcellunt, si nihil Historiæ, nihil moribus institutisque eorum temporum quæ memorant repugnans atque contrarium reperiatur. Nam Historicis, qui res vetustissimas & ab ætate sua remotissimas bene doctèque scripserunt, credere debemus pleraque ab antiquis auctoribus, quorum scripta per-

80 HADRIANI VALESII
ierint, accepisse. Hæc fusiùs edifferui,
vt Aduersarij tandem desinant æquales
auctores & suppare nobis ingerere,
sciántque & recentibus de re veterrima
non rarò credi oportere.

A diuerticulo via repetenda. Et Sigi-
bertus quidem itaut diximus in fundo
suo flumine Axona diuiso ab vrbe Sues-
sionis, quæ Chilperici fratris eius Regia
erat, & postea à Childeberto ipsiusmet fi-
lio est occupata, Basilicam S. Medardi
sepulcro circumdedit, ibique Monachos
collocavit. Probandum nunc est, idem
de Basilica B. Marcelli fecisse Gunt-
chramnum.

De Basilica S. Marcelli.

C A P V T VII.

APVD Cabillonum Æduorum, quam
urbem posthabitis Aurelianis Chlo-
domeris patruis sui quondam per annos
XIII. Regiâ sedem delegerat, Gunt-
chramnus Sigiberti fratris exemplo Ba-
silicam S. Marcello Martyri extra mu-
ros ædificavit, ibique collocatis Mona-
chis

chis multas & magnas possessiones dedit: plurima & donauit præ ceteris Basilicæ S. Symphoriani Augustoduni, vbi etiam Monachos tum fuisse supra docuimus: in quæ omnia noluit Episcopis locorum ac Regibus ipsis quidquam licere. Quare Synodus Episcoporum xvii. Valentia habitata anno dxxciv. Indictione ii. decreuit, *ut si quid Basilicis S. Marcelli, & S. Symphoriani, & quibuscumque locis vel seruientibus Deo Dominus Guntchramnus Rex, & bonæ memoriæ vxor eius Austrechildis Regina ac filia eorum Deo sacrata, id est bonæ memoriæ Clodebergis, & Clodehildis siue in ministerio altariorum siue in quibuscumque speciebus contulissent, aut adhuc conferre vellent, nec Episcopi locorum, nec potestas Regia quocumque tempore successura de eorum donationibus quidquam minuere aut auferre auderet.* Ex quo colligi potest Basilicam S. Marcelli, vt & B. Symphoriani, Monachos habuisse, quos *Seruos Dei, vel seruientes Deo* tum vulgò vocari solitos ostendimus. Hanc Gregorius noster passim *Basilicam B. Marcelli* appellat, quo nomine Monasterium more suo designat. In primis Salonium & Sagittarium Episcopos ob crimen maiestatis Episco-

patu deiectos, in Basilicam S. Marcelli sub custodia deversos esse tradit. Mos autem tunc erat, Episcopos grauium criminum reos, aut contumaces Monasteriis ad agenda ibi pænitentiam cum vno aut duobus Clericis includi: cuius moris exempla plurima Historia Francica præfertim sub Merouei Carolique posteris subministrare potest. Victor quoque Tununensis Episcopus in Chronico Primasium Episcopum ob defensionem trium Capitulorum à Iustiniano Aug. in Acœmetorum Monasterium relegatum, seipsum quoque ob eandem rem primò in Monasterium Mandram; deinde in Monasterium Tabennesiotarum cum Theodoro Sacerdote trusum; demum cum eodem & quatuor aliis Antistitibus Cōstantinopolim ab Imperatore Iustiniano euocatum esse scribit: cui dum omnes & Eutychio Regiæ vrbis Episcopo resistunt, seorsum alij ab aliis per Monasteria eiusdem vrbis custodiri sint iussi. Ut ad Basilicam S. Marcelli reuertar, eam Gregorius in lib. IX. c. III. semel atque iterum Ecclesiam vocat, necnon Basilicam Sanctam: vbi Rex Guntchramnus, ad altare communicandi gratiâ accedens, pæne

ab sicario est interfectus. Huc puella ingenua, quæ Amalonem Ducem virginitatem sibi eripere conantem suo gladio iugulauerat; huc Chundo Cubicularius Regis, qui in silua Regia Vosago bubalum occidisse dicebatur, confugit. Quid pluribus opus est verbis, vt demonstremus ad S. Marcelli Basilicam, quam Gregorius numquam atque nusquam Monasterium appellat, Monachos nihilominus fuisse? cùm scriptor Gunthramno Gregorióque suppar, quales sibi Aduersarij semper exhiberi auctores volunt, id ita apertè doceat, vt qui omnia negant, illud infitari non possint. Is est Fredegarius, quem ad quartum regni Chlodouei iunioris annum Historiam suam deduxisse, ac tum vixisse alibi docuimus. Fredegarius itaque de Basilica Monasterióque S. Marcelli in eapite i. sic refert. *Anno xxiv. regni sui diuino amore tactus Guntramnus Rex Francorum Ecclesiam B. Marcelli, ubi ipse pretiosus requiescit in corpore, quæ in suburbano quidem Cabillonense, sed tamen in Sequano est territorio, mirificè & sollerter edificari iussit, ibique Monachis congregatis, Monasterium condidit, ipsámque Ecclesiam rebus plurimis*

ditavit. Synodum XL. Episcoporum fieri præcepit, & ad instar institutionis Monasterij S. Agaunensium, qua temporibus Sigismundi Regis ab Auito & ceteris Episcopis, ipso iubente Principe, fuerat firmata, idemque & huius Synodi coniunctione Monasterij S. Marcelli Guntramnus institutionem firmandam curavit. Et in capite XIV. Anno XXXIII. regni Gunthramni V. Kal. April. ipse Rex moritur, sepultusque est in Ecclesia S. Marcelli, in Monasterio quod ipse construxerat: quem & Gesta Francorum in Basilica S. Marcelli Martyris sepultum esse prodidere. Vides heic Ecclesiæ S. Marcelli, & Monasterij S. Marcelli separatim à Fredegario fieri mentionem, & lectis eius verbis neminem qui sapiat dubitare posse, quin Ecclesia S. Marcelli Monachos Monasteriumque sibi adiunctum habuerit regnante Guntchramno. Eant nunc Adversarij, & affirmare perseuerent Basilicarum nomine numquam ab Gregorio Monasteria designari, nec Cœnobia ab eo aliter quàm Monasteria vocari consueuisse. Ad Basilicam B. Dionysij Mart. veniendum.

*Basilicam S. Dionysij Mart. tumulo
insignem semper extra Luteciam
fuisse.*

CAPVT VIII.

VENIMVS tandem ad locum, in quem multorum grauissimorum errorum sentina confluit. Quippe cum nemo antea per tot sæcula dubitasset Dionysij primi Parisiorum Episcopi tumulum atque Basilicam extra Luteciam fuisse, & à Rege Dagoberto magnificentiore priore Basilicam eius sepulcro circumdatam, ibique Monachos esse collocatos: exorti sunt demum post annos circiter mille homines quidam, qui sicuti Meroë anus apud Apuleium domum inimici sui aliam in urbem, ita monumentum Basilicamque B. Dionysij ex agro suburbano in ipsam Ciuitatem insulamve Parisiorum Luteciam machinis suis transferrent, & nullum ibi Monasterium fuisse contenderent. Ne tamen illi tam egregij paradoxo inuentione gloriantur, dicuntur hoc, vt plurima

alia, ab Andrea Chesnio in familiaribus colloquiis accepisse. Sed Andreas Chesnius, ut erat vir doctus summâque prudentiâ, tantummodò amicis coniecturas suas, fuâsque dubitandi caussas aperiebat, si qua ratione veritatem posset elicere, nec eam de S. Dionysij Basilica opinionem vnquam publicaturus fuit, propterea quòd certa se auctoritate destitutum videbat. At Aduersarij multo Andrea Chesnio audaciores, suspiciones magni Historici pro re comperta habere, sibi velut eximias admirabilésque obseruationes vindicare, atque etiam in lucem proferre minimè dubitarunt. Atque ut suos habent magistri discipulos, suos obseruatio vel falsissima approbatores, dummodò noua sit, inuenit patella operculum, & post aliquot annos repertus est nescio quis, qui cramben recoqueret, & opinionibus adeò à vero discrepãtibz procliuis accederet, cæcus cæcum ducem securus in foueam. Quos in errores ne quis ampliùs incidat, neutalia deinceps probentur in vulgus, hoc capite demonstrare constitui, extra Luteciam Parisiorum opidum sepulcrum atque Basilicam Dionysij Martyris fuis-

se, insequenti ac nouissimo capite probaturus, si non antè, saltem Dagoberti principatu Monasterium fuisse.

Basilicam S. Dionysij tumulo & nomine virtutibusque insignem extra Luteciam & procul à muris vrbis fuisse, ante omnes docebit primus Historicorum nostrorum Gregorius : qui in libri de Gloria Martyrum capite LXXI. sic scribit. *Dionysius Episcopus Parisiorum vrbi datus est Martyr. Tempore quo Sigibertus Rex cum exercitu ad urbem illam venit, & maximam vicorum eius partem incendio concremauit, quidam de Primoribus eius ad Basilicam antedicti Mart. properat non orationis deuotione, sed tantum ut aliquid fraudaret ab ade. Scilicet ubi reserata ostia & vacuum templum à custodibus reperisset, pallam holosericam auroque exornatam & gemmis que sanctum regebat sepulcrum, temerario ausu diripuit secumque sustulit. Veniens autem ad castra, fuit ei necessitas nauigandi: cumque puer eius quem tunc creditum habebat, suspensis ad collum ducentis aureis nauem cum eodem adscendisset, subito à nullo tactus de nauis cecidit, oppressusque aquis nusquam potuit inueniri. Ille quoque iudicium Dei in se cernens per pueri amissionem & auri, velociter litori*

de quo digressus fuerat remeavit, pallamque sepulcri summa velocitate restituit. Alius autem super sepulcrum sanctum calcare non metuens, dum columbam auream lanceâ querit elidere, elapsis pedibus ab utraque parte, quia turritus erat tumulus, compressis testiculis lanceâ in latere defixâ exanimis est inuentus. Hæc contigere in priore Sigiberti aduersus Chilpericum expeditione, qui fratrem suum fugientem vsque in pagum Carnutinum est persecutus, ac paullo post pacem petenti dedit receptis ciuitatibus suis: cùmque exercitum ex Carnutibus per agrum Parisiacum domum reduceret, quidam ex eius copiis non gregarij modò milites, sed etiam Optimates, præcipuè Transrhenani, qui pace facta præmijs se propè exploratæ victoriæ priuatos dolebant, ipso nequidquam repugnante maximam vicorum agri Parisiaci partem diripuerunt ac incenderunt, in primis vicum VI. ab vrbe lapide distantem, alijs Catulliacum, alijs meliùs Catolacum dictum, in quo Basilica S. Dionysij tumulo insignis, à duobus istis sacrilegis anno Domini DLXXIII. spoliata est. De eadem expeditione Sigiberti mentionem facit idem Grego-

rius in libri Historiæ IV. capite XLIV. cuius verba ex tribus vetustissimis membranis à me perlectis vno versu, quem parenthesi includam, auctiora & emendatiora subiiciam. Denique sentiens Chilpericus, quòd scilicet Guntchramnus relicto eo ad Sigibertum transfisset, castra mouit, & usque ad Auallocium Carnotensem vicum abiit: quem Sigibertus insecutus, campum sibi preparari petiit. [Ille verò timens ne confuso utroque exercitu etiam Regnum eorum corrueret, pacem petiit,] ciuitatésque eius quas malè peruaserat reddidit, deprecans vt nullo casu culparentur earum habitatores, quos ille iniustè igne ferroque opprimens adquisierat. Vicos quoque qui circa Parisius erant, maxime tunc flamma consumpsit, & tam domus quàm res reliqua ab hoste direpta sunt, vt etiam & captiui ducerentur. Obtestabatur enim Rex ne hæc fierent, sed furorem Gentium quæ de ulteriore Rheni amnis parte venerant, superare non poterat. Locus alter alterum mirum in modum illustrat & explicat. Illic maxima pars vicorum urbis Parisiæ incendio concremata esse dicitur à Sigiberto, id est à Sigiberti frustra prohibentis exercitu, & Basilica S. Dionysij direpta: heic apertius vici qui circa Parisios

erant, (non autem qui intra Parisios erant) ab eiusdem Principis copiis præ ceteris *flammâ consumti* esse dicuntur. Erat ergo iam tum Basilica Dionysij Martyris tumulo illustris in vno è vicis illis, qui circa urbem Parisiorum sunt positi, nimirum in vico Catolacensi haud procul à ripa fluminis Sequanæ. Quo magis miranda est Aduersariorum securitas, qui Gregorium stare pro partibus suis putant, & ex eius verbis malè intellectis colligunt Dionysij Mart. sepulcrum in ipsa vrbe Lutecia Parisiorum fuisse, quæ ab exercitu Regis Sigiberti direpta sit, & ea duo miracula anno Christi D L X X . V I I I . quo anno & Sigibertus obierit, contigisse asserunt. Nimirum homines multo minùs cauti & sagaces quàm putant, vici nomine decepti sunt, & existimarunt à Gregorio in libri de Gloria Martyrum capite LXXII. *vicos urbis Parisiorum non alios dici*, quàm qui intra muros urbis essent, cum vici suburbani seu vrbi subiecti & circumscripti designarentur. Sic idem Gregorius in libri III. Historiæ capite VI. *Columnnam Aurelianusis urbis vicum; Visorontiam locum urbis Viennensis* vocat: quem vicum, &

quem locum si quis Aurelianis & Viennæ quærat, frustra quærat. Sic in lib. v. cap. XL. *Calam Parisiacæ ciuitatis villam* cum appellat, non eam in ipsa Ciuitate infulæve Parisiorum, à qua centum stadiis abest, sed in agro ciuitatis fuisse indicat. Sic *Condatensem vicum vrbis suæ*, scilicet Turonicæ, nuncupat in capite vlt. lib. x. locum in pago Turonico B. Martini morte nobilem; & alibi *vicum vrbis Turonicæ, cui nomen est Euena*, id est (vt eius verbis vtar) vicum territorij vrbis Turonicæ, seu agri pagivæ Turonici. Non igitur hæ vicorum direptiones atque hæc incendia alibi quàm extra Luteciam facta sunt: neque hæ Dionysij virtutes eo anno quo Sigibertus periit, (quem esse Christi annum DLXXVII. Aduersarij aiunt, cum fuerit DLXXV.) seu in posteriore & nouissima Sigiberti in fratrem expeditiones; sed in priore, nimirum anno Domini DLXXIII. accidere. At in neutra amborum expeditionum Luteciam Parisiorum Sigiberti exercitus diripuit: quemadmodum sibi persuadent Aduersarij. Non in priore, vti iam ostendimus: tum enim *ad urbem Parisios venisse cum exercitu* dicitur Sigibertus, at non in urbem venisse; ma-

*ximam vicorum eius, seu vicorum qui circa
 eam erant partem cremavisse dicitur, non
 verò maximam vrbis partem incendisse.
 Non in posteriore expeditione: tum
 enim Sigibertus obtentis ciuitatibus que
 citra Parisius sunt posita, usque Rotomagen-
 sem urbem accessit, inde Parisius est ingres-
 sus, ibique ad eum Brunichildis cum filiis
 venit, sicuti scribit Gregorius in libro IV.
 Quare intrata quidem tunc à Sigiberto,
 sed volentibus ac portas aperientibus
 opidanis, non autem direpta Lutecia est.
 Certè Germanus Parisiorum Episcopus,
 cum post Sigiberti in urbem Luteciam
 ingressum Brunichildem eodem venien-
 tem æger aduentoria exciperet, de bel-
 lo quidem ciuili Sigiberti & de vastatio-
 ne regioni imminente apud eam questus
 est; de Lutecia Sede sua direpta questus
 non est. Quî autem passurus fuit Sigi-
 bertus à milite suo Luteciam diripi, cu-
 ius pars tertia post mortem Chariberti ad
 ipsum ex pactione pertinebat, & quæ à
 tribus simul fratribus Regibus pro indi-
 uiso possidebatur? Agnoscant itaque Ad-
 uersarij suis se gladiis iugulari, suis se
 pennis configi.*

Gregorio Turonico Episcopo succe-

dat Fredegarius Scholasticus, qui Basilicam sepulcro B. Dionysij Mart. insignem, quam nunc *Ecclesiam Domni Dionysij*, nunc *Basilicam S. Dionysij* vocat, extra urbem Luteciam principatu Dagoberti fuisse & Clippiaco ac Spinogelo proximam apertissimè docet. *Anno xv. regni Dagoberti* (inquit cap. LXXVIII.) *Vascones omnes Seniores terra illius cum Aiginane Duce ad Dagobertum Clippiacum venerunt, ibique in Ecclesia Domni Dionysij Regio timore perterriti confugium fecerunt. Clementiâ Dagoberti vitam habent indultam, ibique sacramentis Vascones firmantes simul & promittentes, se omni tempore Dagoberto & filiis suis Regnôque Francorum esse fideles. Quod & Aimoinus in lib. IV. cap. xxxi. clariùs refert. Omnes ferè Seniores Vasconie ad eum Clippiaco venerunt, eiusque formidantes presentiam, in Oratorium S. Dionysij confugerunt.* Nimirum Vascones anno regni Dagoberti XIV. ob defectionem suam crebrâsque in Regnum Francorum incursiones à Dagoberti copiis oppugnati & victi, cum multos suorum interfectos, multos captos, domos incensas, res direptas viderent, pacem & veniam à Dagoberti Ducibus petierant,

pollicitique erant se ad Regem venturos, & deditione factâ cuncta imperata facturos. Itaque anno insequenti ad Dagobertum venire, in Clippiaco villa Regia commorantem, ibique cum essent, Regis iram veriti quem suis incursionibus ac rebellionibus exasperauerant, in Basilicam S. Dionysij Clippiaco propinquam confugere, quibus Rex in gratiam Martyris vitam dedit, sed eos iurare super Dionysij tumulum voluit, se ipsi filiisque ipsius ac successoribus semper fideles futuros. Tum ergo, ut hodieque cernimus, Basilica S. Dionysij Mart. monumento illustris, propinqua erat Clippiaco, quem ab obitu B. Episcopi Rotom. S. Audoëni vicum appellant: tum, ut & hodie, vterque locus Sequanæ proximus erat. In capite LXXIX. Fredegarij verba hæc sunt. *Anno XVI. regni sui Dagobertus profluvio ventris in Spinogelo villa super Segona fluvio nec procul à Parisius egrotare cepit, exinde ad Basilicam S. Dionysij à suis defertur.* Quid apertius? Spinogelo, villæ Regiæ ad flumen Sequanam non procul à Lutecia Paris. positæ, vicinam facit Fredegarius Basilicam S. Dionysij, quam hodie Spi-

no gelo villæ proximam esse nemo nescit. Dicit idem delatum ad Basilicam S. Dionysij Dagobertum, quem Luteciam Parisiorum delatum dicere debuerat, si Basilica S. Dionysij tum intra muros Luteciæ sita erat, vti Aduersariis placet: sicuti suprâ dixerat Vascones qui in villa Clippiaco erant, *in Ecclesiam Domni Dionysij* confugisse metu Regis: quos Parisios in Ecclesiam S. Dionysij confugisse dicere debebat, si ea Ecclesia vel Basilica tum Parisiis, hoc est in ipsa Ciuitate vel insula Parisiorum Lutecia posita erat.

Fredegarium sequetur, quem forsitan præcedere debuit, Passio S. Martyrum Dionysij Episcopi, Rustici, & Eleutherij passorum *v i i*. Idus Octobris, quam legi in Codice vetustissimo & ante annos amplius septingentos scripto; quem Musciacenses Monachi, vulgò Moifacenses dicti, Claudio Iolio Ecclesiæ Parisiacæ Canonico, amico nostro doctrina & pietate claro nuper dono dederunt. Hæc autem Passio Dionysij antiquissima, & ante Dagoberti Principatum composita mihi videtur, propterea quòd Basilicæ B. Dionysij ab eo Rege conditæ nullam mentionem facit. Sic igitur auctor

96 HADRIANI VALESII
eius Passionis refert. Tunc matrona quæ-
dam facere aliquid cogitans Domino placitu-
rum, vfa subtilitate confilij ad conuiuium
venire postulat percussores, ac fide libus suis
secreta ordinatione committit, vt subtracta
furto eorum (S. Martyrum) corpora diligens
elaboraret occultare prouifio: qui domine or-
dinatione compertâ, festinanter quod eis præ-
ceptum fuerat exsequuntur, furtumque lau-
dabile in sexto ab vrbe memorata (Parisiis)
lapide, id est in arata terra quam seminibus
preparauerat industria colentis, abscondunt:
& infra. Antedicta materfamiliâs horum
non immemor secretorum, cum primùm per-
secutionis tepuisse vidit feruorem, locum tan-
torum Martyrum ossa seruantem quâ oportuit
solicitudine requisivit, atque inuentum emi-
nentis Mausolei constructione signauit. Vnde
postmodum Christiani Basilicam super Marty-
rum corpora magno sumtu cultuque eximio
construxerunt: vbi cotidie operante Domino
Iesu Christo merita eorum virtutum probatur
monstrare frequentia. Matrona igitur illa
in VI. ab vrbe Lutecia lapide in aruo quo-
dam trium Martyrum corpora sepeliuit,
ac postea sepulcrum eis fecit eodem in
loco, cui sepulcro post Christiani Basili-
cam eximiam circumdedere. Quod cla-
rius,

rius, quod illustrius testimonium proferri potest? Et huius quidem Passionis eo maior habenda ratio est, quòd nec Dionysium nostrum, Atheniensem Areopagitam facit, nec vllas, quales aliæ Passiones, fabulas continet. Accidit itaque tumulo B. Dionysij, quòd multis aliis Sepulcris Basilicisque ac Monasteriis Martyrum & Confessorum videmus accidisse, vt multis eò ob virtutes B. Dionysij confluentibus, multis etiam ob immunitatem loci ibi habitantibus, vico ingenti ac demum opido originem daret.

Auctor libelli de Vita B. Genouefæ Virginis à Iohanne Bollandò editus in sexto pariter ab vrbe lapide Basilicam tumulumque S. Dionysij Martyr. ponit. Quippe tradit Genouefam *in vico Cato-*
liacensi, in quo S. Dionysius passus sit & se-
pultus, in honorem S. Dionysij Ep. & Mart.
Basilicam construxisse in VI. à Parisius mil-
liario, Presbyteris ciuitatis inprimis Genesio
insistentibus, & vniuersis ciuibus Genouefa
petente collationem facientibus. Hæc autem Genouefana Basilica non ea est, quam Auctor Passionis S. Dionysij à Christianis circa tumulum Martyris conditam esse ait, sed potiùs alia, quæ in huius

prioris vetustate collapsæ locum à Genouefa Parisiacisq̄ue est substituta. Idem scribit Monasterij S. Dionysij Monachus in Gestis Dagoberti, & *in vico Catulliaco ab vrbe Lutecia v. millibus distante adiculam à Genouefa super S. Martyres Dionysium, Rusticum, & Eleutherium constructam* dicit. Hæc autem Gesta Dagoberti circa annum DCCCCL. scripta esse puto, propterea quòd animaduerto Reginonem, cuius Chronicon in anno DCCCCV. desinit, ea legisse & semel atque iterum lectum esse, videlicet quum de Dagoberti in Basilicam S. Dionysij fuga post Sadregisilum flagellis verberatum, & deducens millibus solidorum, quæ à Rege Hispaniæ Sisenando Dagobertus acceperat, S. Dionysio oblatis loquitur.

Alcuinus Caroli Magni æqualis Homiliam de natali S. Willibrordi composuit, à Canisio editam ac tomo VI. insertam: in qua hæc legimus. *Omnia Parisiaca ciuitatis suburbana S. Dionysij vel S. Germani magnificis iocundantur auxiliis, & festinos illorum dies maior populorum celebrat frequentia.* Ergo & suburbana erat S. Germani vel S. Vincentij Basilica, suburbana & S. Dionysij Basilica, sed inæquali

distantia. Sepulcrum enim S. Germani Paris. Episcopi vrbi proximum erat, vt est hodie: tumulus B. Dionysij, sicuti & nunc, vi. circiter millia passuum ab eadem vrbe Lutecia aberat.

Mettensis Monasterij S. Arnulfi Monachus res gestas Francorum ab exordiis ad annum Domini DCCCCIII. deduxit, transcriptis variis auctoribus, opusque suum Gesta Francorum inscripsit, quod alij Chronicon Cœnobij S. Arnulfi vocant, Andreas Chesnius à loco Annales Mettenses maluit appellare: quo in opere multa eximia & nusquam alibi inuenienda de Pippino Crasso, deque filio eius Carolo ac nepote Pippino Breui, qui post regnavit apud Francos, reperiuntur. Hic de Carolo Principe Francorum Pippini Crassi Principis Francorum filio ita refert. *Transiit xi. Kalendas Nouembr. sepultusque est haud longè à Parisiaca ciuitate in Basilica S. Dionysij Martyris.* Quid clarius?

Annales è Bibliotheca Iohannis Tiliij eruit publicauitque Andreas Chesnius ab anno DCCVIII. ad annum DCCCVIII. deductos ab scriptore qui tum vivebat, alios item ab anno DCCXLI. ad DCCCXIV.

perductos, in quibus utrisque de Regis Pippini morte sic refertur. Anno DCCLXVIII. *Domnus Rex ad S. Dionysium usque peruenit, ibique diem obiit finivit VII. Kalendas Octobris.* Nithardus in libro III. *Karolus (inquit) quosdam Parisium & Melidonem custodire precepit. Ipse verò è regione S. Dionysij iuxta Sanctum Cludualdum castra in medietate posuit.* Vetus quoque scriptor libelli de constructione Nouæ Corbeix S. Viti Martyris corpus regnante Pippino *in diœcesi Parisiaca locatum* ait, quod in Ecclesia S. Dionysij positum esse mox affirmat. Aberat ergo Basilica B. Dionysij non longè quidem à ciuitate Parisiis; sed aberat tamen: adeò intra urbem esse non poterat. Et Rex Pippinus cum ad S. Dionysium siue ad Monasterium S. Dionysij venit, ubi & diem obiit, non Luteciam Parisiorum venit; sed in vicum VI. millibus passuum ab ea vrbe distantem. Carolus denique eius pronepos cum Luteciam & Melodunum præsidio militari muniuit, & è regione S. Dionysij ad S. Chlodoaldum confedit armatus, vt Lotharium fratrem suum transitu Sequanæ arceret, satis ostendit S. Dionysij Basilicam & tumu-

lum Parisiis non fuisse, sed vti hodiè que cernimus, in loco à S. Chlodoaldi Basilica & vico non multum distante; in dicecesi (vt inquit ille) Parisiaca, non in Parisiaca Ciuitate.

Charta me diésque deficeret, si veteres omnes auctores, qui Basilicam S. Dionysij extra Luteciam posuerunt, enumerare ac proferre vellem, & irritus omnino labor ingratusque esset tot alienas paginas transcribendi. Cui supradicta non sufficient, nihil planè sufficiet. Præstat argumenta refellere, quibus freti Aduersarij, in Ciuitate Parisiis intrave insulam sepulcrum S. Dionysij cum Basilica fuisse affirmant: quæ argumenta velut telæ araneorum facillimè perrupta dissipataque mox corruent.

Proferunt imprimis Aduersarij Gregorium Turonicum Episcopum, qui in libri Historiæ v. capite xxxiii. de mœcha Parisiaca sic retulit. *Apud Parisius mulier quædam ruit in crimen, asserentibus multis, quòd relicto viro, cum alio misceretur. Igitur parentes illius accesserunt ad patrem, & Si, inquit, est innoxia, super tumultum hoc B. Dionysij Martyris sacramentis affirma. Faciam, inquit pater. Tunc inuito placito, ad*

Basilicam Martyris Sancti conueniunt, eleuatisque pater manibus super altarium, iurauit filiam non esse culpabilem. E contrario periu-rasse eum alij à parte viri pronuntiant. His ergo altercantibus, euaginatiis gladiis in se inuicem prouunt, atque ante ipsum altarium se trucidant. Respergitur sancta humano cruore Basilica, ostia iaculis fodiuntur & ensibus, atque vsque ad ipsum sepulcrum tela iniqua desciunt. Quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit, donec ista omnia ad Regis notitiam peruenirent. Hi verò properantes ad presentiam Principis, non recipiuntur in gratiam, sed ad Episcopum loci illius remitti eos iussum est. Sæpe miratus sum hominum cæcitatem his opiniones suas argumētis rationibúisque fulcientium, quibus maximè impugnari poterant destruíque. Idem nunc facere cogor, cùm omnia Gregorij verba suprà laudata, quæ Aduersarij pro clypeo suo aut etiam pro telo habent, si modò intelligantur, à me stare videam. Mulieris cuiusdam Parisiacæ, aut saltem Parisiis habitantis pater conuenitur à propinquis generi, negat filiam suam adultero vmquam succubuisse, ac super tumulum B. Dionysij se iuraturum dicit, eam insontem esse. Die

constituto, utræque partes in Basilicam S. Dionysij conueniunt. Elatis manibus super altare, iurat pater filiam castam pudicamque esse, & à malis hominibus falso adulterij crimine insimulari. An hæc indicant Basilicam monumentumque B. Dionysij Luteciæ tum fuisse? aut potius quid aliud hæc indicant quàm Basilicam sepulcrumque inclyti Martyris ab vrbe Lutecia non procul abfuisse? Si quis Germanus, aut Italus, qui numquam Luteciam adiisset, ita argumentaretur: mulier Parisiaca filium desperatum detulisse dicitur in Basilicam S. Mariæ à Virtutibus cognominatæ, vota ibi pro salute eius fecisse, & mox sanum recepisse: ergo ea Basilica in vrbe Lutecia posita seu intramurana est: si quis inquam Germanus Italusve ita argumentaretur, nonne Aduersariis nostris se deridendum traducendumque propinaret? Eadem planè ratione ipsi argumentantur, hisce præsertim Gregorij verbis male intellectis nixi: *super tumulum hoc B. Dionysij Mart. sacramentis affirma*: id est, (ne quis forsitan, vt accidit, vsitata scriptoribus Latinis verborum traiectione decipiatur) sacramentis hoc affirma super

104 HADRIANI VALESII
tumulum B. Dionysij Mart. Quis unquam Philosophus & in scholis diu multumque versatus, sic argumentari sustinuit? Quidam Parisiis genero generique sui propinquis instantibus, diem constituit, quo die coram ipsis in Basilica S. Dionysij super tumulum Martyris filiae suae innocentiam iureiurando testaretur: igitur ea Basilica tum Parisiis sita, non autem extra Parisios fuit. Quasi Parisiacus iste filiam suam adulterij ream ad tricesimum, aut etiam ad sexagesimum ab vrbe lapidem super quemlibet alium cuiuslibet loci Sanctique tumulum purgare non potuerit: quem Sancti tumulum qui propterea crederet Luteciae tunc fuisse, meritò ab omnibus exploderetur. Praeterea Gregorius in capite illo xxxiii. *Basilicam Martyris Sancti, & Sanctam Basilicam*, ac in inscriptione capitis *Basilicam S. Dionysij*, vt semper aliàs, eam appellat: at maiorem & primariam Luteciae Ecclesiam, nunc simpliciter *Ecclesiam*, nunc sicuti & Fortunatus, *Ecclesiam Parisiacam*, numquam *Basilicam* vocat. Ex quo apparet errare Aduersarios, qui Iac. Brolium ex parte secuti, Basilicam B. Dionysij sepulcro illustrem non modò intramura-

nam, sed etiam matricem ciuitatis Ecclesiam fuisse affirmant, quæ hodie à Dionysio ibi passò *Basilica B. Dionysij de Passu* nuncupetur. Scilicet! intra urbem capite truncatus est Dionysius. Quis ignorat more Romano damnatos extra portas urbium à carnificibus duci vel trahi, ibique supplicio affici consueuisse; rariùs in foro, aut in carcere necatos esse? Sciunt vel pueri nostri, quibus utique quàm prouincialibus patria nostra notior est, Dionysium, Rusticum, & Eleutherium capitibus abscissis occubuisse in monte suburbano, qui depositâ dudum Mercurij Martisque appellatione, ab eis Mons Martyrum dicitur. Basilica autem S. Dionysij de Passu cognominata est à gradu altiore, quo in eam adscendebatur. Gradum enim hodiè que vulgò Passum vocamus. Sicuti Basilica S. Stephani à Gressibus, hoc est à gradibus quibus multis adibatur, cognomen inuenit: & Anno Archiepiscopus Colonix Ecclesiam, quæ dicta est *ad Gradus*, ante annos ferè DC. B. Mariæ ædificauit. At Ragnemodum qui Parisiacæ Ecclesix præerat, *Episcopum loci illius* vocauit Gregorius. Quid tum? ideòne locus ille seu S.

Dionysij tumulo & nomine insignis Basilica, mater Luteciæ Ecclesia tum fuisse censenda est? Nonne Antistes quilibet non solùm ciuitatis suæ, sed etiam singularum ac vniuersarum diœceseos suæ Ecclesiarum atque Basilicarum Episcopus est & vocatur? Itaque Gregorius Ragnemodum Basilicæ S. Dionysij Episcopum nuncupauit, propterea quòd in eius diœcesi Basilica humano sanguine contaminata consistebat. Sanè & Aimoinus in libri III. capite xxx. disertè scribit, *in Ragnemundi Parisiaci Antistitis diœcesi hæc acta fuisse.*

Post Gregorium Aduersarij infelicem Fortunatum obtorto collo, nequidquam ad se trahunt inuitum ac repugnantem. Cuius in libro I. Carmen vndecimum de Basilica S. Dionysij tale est:

*Qui cupis egregij structorem noscere templi,
 Tam pia non patiar vota latere tibi.
 Longius hinc olim sacra cum delubra fuissent,
 Et plebs ob spatium sæpe timeret iter:
 Exiguam dederat heic Prasul Amelius arcem,
 Christicolam populum nec capiente loco:
 Quo vita claudente diem, pro lege graduque
 Venit ad heredem hoc opus atque locus.
 Fundauitq; piam dehinc Papa Leontius aulã,*

*Obrulit & Domino splendida dona suo:
Quam venerandus habet propriam Dionysius
adem,*

Nomine sub cuius sanctificata nitet.

Tum descripto eius Martyrio subiicit
Fortunatus.

Nec angusta prius subtraxit fana Sacerdos,

Hac nisi perficeret, qua modò culta placent:

Astiduè in prisco peragens cerimonia templo,

Donec ritè sequens consolidasset opus.

Aduersarij ex his Fortunati versibus callidiùs quàm callidiùs colligunt, Basilicam B. Dionysij, quæ nobilissimi Episcopi & Mart. sepulcrum contineret, in vrbe, matrémque ad eò vrbis Luteciæ Ecclesiam fuisse: quam Amelius Parisiorum Episcopus extruxerit, auxerit Leontius. Ego, qui verba auctorum cautè & cunctanter perpendenda, nec nisi post diutinam meditationem de vlla re ferendum iudicium semper existimaui, interrogo Aduersarios, quo moti argumento de Parisiaca S. Dionysij Basilica Fortunatum heic locutum asserant. Nullam enim vrbis Parisiacæ in toto eo Carmine Fortunatus; nullam tumuli primi Episcopi nostri mentionem fecit, facturus haud dubiè, si Basilicam B. Dionysij

apud Parisios Reliquias venerabilis Martyris seruantem hoc Carmine descripsisset. Præterea quis vnquam vllam siue intramuranam siue extramuranam B. Dionysij Basilicam Parisiis ab Amelio aut à Leontio Episcopis conditam dixit? Rectè ergo iam alij obseruârunt Fortunatum ibi agere de Basilica S. Dionysij à Leontio Burdigalensi Episcopo in pago parœciâve Burdigalensi ædificata : vt eodem in libro alia eiusdem Sacerdotis opera enarrat, videlicet Basilicam S. Martini in colle, Basilicam S. Vincentij Mart. in loco cui Vernemetis nomen erat, Basilicamque B. Nazarij à fundamentis conditas, necnon Basilicam S. Bibiani perfectam, & Basilicam S. Eutropij Santonis reparatam : è quibus præ ceteris Basilicam S. Martini Turonis ; Basilicam S. Vincentij Mart. Parisiis ab Leontio structam esse nemo sanus dixerit, cum de Basilicis in Aquitania ab Episcopo Aquitano statutis sit mentio. Quòd si gratis concesserimus Aduersariis, Venantium Fortunatum Parisiacæ Basilicæ S. Dionysij facere in lib. i. Carmine xi. mentionem, quid inde consequentur ? quid colligent ? Eam Basilicam ab Amelio exstru-

etiam, ab Leontio auctam non dicit Poëta, sed cum *sacrum delubrum*, seu Basilica S. Dionysij tumulum complexa longiùs abesset ab vrbe Lutecia, & opidanos sæpe loci distantia ab itinere deterreret, Amelium vrbis Episcopum angustam nec populi capacem B. Dionysio ædificasse Basilicam: Amelio autem mortuo, Leontium Antistitem eius heredem amplio- rem eidem Martyri Basilicam fecisse, nec antequàm consummata esset, priorem vel Amelianam dirui iussisse. Heic misereor Aduersariorum: adeò se in explicandis vel potiùs in inuoluendis intricandisque Fortunati verbis torquent, dum Luteciæ quærunt quod in Aquitania secunda quærendum est, & loci distantiam populo Parisiaco formidatam conuenire putant Ciuitati ipsi vel Insulæ Parisiorum, quæ intra horæ quadrantem, aut saltem intra dimidiam horam tota quàm longa est perambulari potest.

Excipiamus vltimum, imbelle & sine ictu, Aduersariorum telum, quo non magis quàm prioribus vulnerandi sumus. Quid enim obesse queat veritati bene defensæ? Audoënus Rotomagensis Epi-

110 HADRIANI VALESII
scopus tres libros de vita & virtutibus B.
Eligij Nouiomagensis ac Turnacensis E-
piscopi composuit, & hoc memoriae ami-
ci ac sodalis sui quasi debitum munus ex-
soluit. Is in libri I. capite XXIII. sic re-
fert. *Denique quodam tempore cum anni-
uersaria Parisiis S. Dionysij Mart. celebra-
retur passio, dum Vigilia à Clero caneretur in
choro, egressus Eligius è templo, ad atrium se
conferebat: viditque eminùs virum cunctis
membris contractum, contra Sancti sepul-
crum iacere in pavimento: deinde comme-
morat, qua ratione Eligius contractum
illum in atrio Basilicæ S. Dionysij excu-
bantem sanauerit, quæ narratio quo-
niam nihil ad rem facit, à nobis omitti-
tur. Ex Audoëni supra laudatis verbis
Aduersarij colligunt, Basilicam B. Dio-
nysij sepulcro nobilem, pridem in vrbe
Lutecia Parisiorum fuisse, & ob supradi-
ctum miraculum fabricauisse Eligium
Mausoleum S. Mart. Dionysij in Parisiensi
Ciuitate, sicuti in cap. XXXII. ait Au-
doënus. Eum contractum aut sanauit E-
ligius, antequàm Dagobertus magnifi-
cam Basilicam tumulo B. Dionysij cir-
cumdedit, ibique Monachos collo-
casset: aut si postea id accidit, creden-*

dum est Clerum Ecclesiæ Parisiæ in
 Basilicam S. Dionysij se contulisse, ut ex
 more natalem inclyti Episcopi sui &
 Martyris ad ipsius tumulum psallendo &
 Missarum sollemnia agendo celebraret:
 cuiusmodi Missas sæpe ab locorum Epi-
 scopis dictas esse legimus. Ut omittam
 Monachos ipsos, qui ad Clericatus gra-
 dum promoti essent, Clericos vocari
 consueuisse. Instant Aduersarij, & ut do-
 ceant tumulum B. Dionysij in vrbe fuis-
 se, ostendere nos iubent extra muros
 Mausoleum Martyris, quod Eligium in
 Parisiensi Ciuitate fabricasse scripsit Au-
 doënus. Egregium argumentum! Osten-
 dant nobis ipsi Mausoleum illud Parisiis
 in sua S. Dionysij de Passu Basilica, vbi tu-
 tius quàm in agro seruari utique potuit:
 ostendant nobis tugurium illud marmo-
 reum auro & gemmis ornatum, axes auro
 opertos, nonnullos & argenteos, poma
 demum aurea atque gemmata. Hæc re-
 petenda sunt à Nortmannis, qui intra
 annos circiter LXX. toties Luteciam Pa-
 risiorum obsederunt, toties suburbanas
 Basilicas ac Monasteria diripuerunt: qui
 anno DCCCLVII. Basilicam B. Petri & S.
 Genouefæ, ceterasque omnes incende-

sunt, præter domum S. Stephani, Basilicam S. Vincentij atque Germani, Basilicamque S. Dionysij, pro quibus, tantummodò ne cremarentur, ingens pecunia Barbaris data est. An ignorant Aduersarij viri vndecumque doctissimi, ossa Martyrum Dionysij, Rustici & Eleutherij metu Nortmannorum, qui & Dani dicebantur, in villam Monasterij Nouientum anno Domini DCCCLIX. deportata esse? & anno DCCCLXV. per dies XX. Monasterium S. Dionysij ab eisdem infessum atque liberè direptum, quotidie prædam ex eo loco in naues deferentibus? Id certè docent Annales Bertiniani. Ex quo etiam apparet Monasterium B. Dionysij tumulo illustre, regnante Carolo Ludouici Pij Aug. filio, extra urbem positum fuisse, cùm vrbe incolumi à Barbaris bis saltem expugnatum sit ac opibus suis spoliatum, & Reliquiæ Dionysij Mart. ex eodem Monasterio tutiorem in locum à Monachis sint delatæ. Atenim (inquiunt Aduersarij) Audoënus Parisiis S. Dionysij Mart. templum simul & sepulcrum ætate sua fuisse apertè indicat, & Eligium *fabricasse Mausoleum* eius in *Parisiensi Ciuitate* disertis verbis

bis prodit. Addant, per me licet, Fortunatum in libri VIII. Carmine IV. ita loquentem.

Ipsè Parisiaca properat Dionysius vrbe.

Addant Gregorium in libro Historiæ v. de Dagoberto Chilperici & Fredegundis filio sic referentem: *quem deducentes à villa Brennaco Parisius, ad Basilicam S. Dionysij sepeliri mandauerunt: & in lib. x. cap. xxx. Adest Saturninus à Tolosa; Dionysius ab vrbe Parisiaca.* Addât Fredegarium in capite LIV. *Loca Sanctorum domni Medardi Sueffionis, & domni Dionysij Parisius* commemorantem. Addant multos alios recentiores, quos enumerare longum superuacuumque esset. Quos omnes impropriè locutos esse constat, & Basilicam quæ proxima Parisiis ac suburbana erat, *Parisiis, aut in Parisiaca Ciuitate, aut apud Parisios* esse scripsisse. Sic Aredium *Lemouicina vrbis* Abbatem nuncupat Gregorius in libri IV. miraculorum S. Martini capite VI. nemo tamen hætenus Monasterium Atanenfe, cuius conditor & Abbas fuit Aredius, in vrbe Lemouicis sibi quærendum putauit. Sic Auitus, quem Gregorius in lib. III. cap. VI. Abbatem *Mitiacensem* vocat, in Gestis Franco-

rum cap. xx. *Abba in Aurelianensi Ciuitate* fuisse dicitur. Nemo tamen repertus est umquam, qui propterea crederet Mitiacum Aurelianis fuisse, à quibus v. aut vi. millibus passuum abest, aut qui vicum suburbanum ac Monasterium eam in urbem transferret. Sic in descriptione Consulum incerti auctoris Hispani, quam Iac. Sirmundus sub nomine Fastorum Consularium Idatij Episcopi ex parte vulgauit, legimus D. Iouiano Aug. & Varroiano Coss. *leuatum esse Valentem Aug. Constantinopoli in milliario Septimo in Tribunali à fratre suo Valentiniano: item Merobaude II. & Saturnino Coss. leuatum esse Arcadium Aug. Constantinopoli in milliario VII. in Tribunali à Theodosio Aug. patre suo.* Quod in Chronico Alexandrino refertur his verbis: *Επήρθη Ουάλης Αύγουστος εἰς Κωνσταντινούπολιν ἐν τῷ ἑβδόμῳ ὑπὸ Ουαλεντινιανοῦ Αυγ. Ἀρχαδίου Αυγ. ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐν τῷ Τεβουναλίῳ τῷ ἑβδόμου ὑπὸ τῷ πατρὸς αὐτοῦ Θεοδοσίου ἑ Αυγ. αἰνηγορεύθη.* Arcadium autem & Marcellinus Comes à patre suo Theodosio Aug. *consortem Imperij VII. ab Vrbe milliario coronatum* dicit. Sic Idatius in Chronico *apud Constantinopolim Marcianum à milibus fa-*

etiam Imperatorem tradit, quem in Septimo leuatum Aug. Auctor Chronici Alexandrini, Nicephorus Callistus, alique docent. Si quis Aduersariorum nostrorum similis esset, statim ex his scriptoribus colligeret Hebdomum seu Septimum, suburbanum celebre ita dictum, quòd in VII. ab vrbe Regia Constantinopoli lapide milliariove esset, intra urbem ipsam cum Tribunali cùmque Basilica S. Iohannis Baptistæ & Campo positum fuisse: quod nemini hactenus in mentem venit. Ado in Martyrologio pridie Nonas Aug. Romæ in Crypta Arenaria natalem Tertullini Mart. commemorat. Crypta tamen Arenaria iuxta viam Latinam ad secundum lapidem erat. Idem III. Idus Aug. Romæ inter duas Lauros natalis S. Tiburtij Mart. & cum Vsuardo ac Rabano XI. Kal. Ianuar. Romæ viâ Labicanâ inter duas Lauros natalis triginta Martyrum mentionem facit. Auctor quoque Chronici quod vulgò Alexandrinum vocant, Placidum Valentinianum Romæ inter duas Lauros occisum esse tradit: Εσφάγη Οὐαλεντινιαὸς Αὐγ. ἐν Ρώμῃ μεσσοῖ δύο Δαφνῶν: quem tamen locum Inter-duas-Lauros dictum viâ Labicanâ

116 HADRIANI VALESII
tentio ab Vrbe milliario fuisse. Ado ipse
& Vsuardus docent. Denique sæpe in
Martyrologiis Bedæ, Vsuardi, & Ado-
nis inuenio, *Roma in Cœmeterio nunc Cal-
listi, nunc Prætextati, modò Pontiani, mo-
dò Priscillæ, aut quo alio Martyres vel Epi-
scopos Romanos sepultos esse. Constat
tamen nihilominùs ea Cœmeteria omnia
extra muros fuisse: è quibus Cœmeteriũ
Callisti in via Aurelia positum, tribus ab
Vrbe millibus passuum aberat, quædam
& quatuor. Sanè cum apud Helgaldum
legunt Aduersarij Robertum Franco-
rum Regem *Parisijs deportatum, apud S.
Dionysium iuxta patrem suum sepultum esse
ante altare S. Trinitatis, aut vt alius loqui-
tur, sepultum esse Parisijs in Monasterio S.
Dionysij, an ideò credunt regnante Ro-
berto etiam tum in vrbe Lutecia Parisio-
rum S. Dionysij Monasterium fuisse?*
Possẽm multis aliis exemplis prolatis
ostendere, Auctores nostros eodem sen-
su ita scripsisse, nisi fessus properarem ad
metam.*

Oportebat æquũque erat doceri nos
ab Aduersariis, quo tempore, quo aucto-
re, & quam ob causam corpus S. Diony-
sij ex vrbe Lutecia, in qua illud primò

fuisse contendunt, in vicum suburba-
num vbi hodiéque seruator, translatum
fuerit. At illi postquam diu multúmque
sed frustra veritatem oppugnaverunt,
concludunt demum, (si tamen hoc est
concludere) disquirendum esse, ex quo
tam illustre sepulcrum Luteciæ esse de-
fierit. Disquirant sanè, quantum volent,
& quàm volent diu : rimentur ac serua-
tentur occulta : vbique inuestigent, pro
sua sagacitate indagent quidlibet & odo-
rentur : Historicos omnes nostros, om-
nes rerum Francicarum Annales, Chro-
nica omnia diligenter euoluant : nus-
quam reperient mandaram litteris à quo-
quam translationem Reliquiarum S.
Dionysij ex vrbe Lutecia in suburba-
num, quæ numquam nisi ad tempus metu
hostium loco motæ sunt, numquam in
vrbe fuerunt, semper extra urbem in lo-
co vbi nunc sunt, fuerunt. Hoc vt cer-
tò scio, ita mea fide, meo periculo affir-
mare non dubito. Accidit igitur Aduer-
sariis, quod hominibus nouas obserua-
tiones improbables & à communi noti-
tia multùm discrepantes affectantibus
accidere consuevit, vt posteaquàm opi-
nionem omnium impugnaverunt pluri-

múmque sine caussa sudauerunt, ipsi quid sentiant aperire, & nodos quibus se imprudentes impediunt, soluere ac extricare non possint, lectorésque in difficultatibus minimè superandis, in salubris ac præcipitiis quid sequantur incertos dubiósque destituant: veritate interim semper in sublimi ac illustri loco posita, semper monstrante viam errantibus, sempérque victrice.

Apertè demonstrauimus Basilicam B. Dionysij sepulcro ac nomine nobilem semper extra Luteciam, seu ad VI. ab vrbe lapidem fuisse; nunc docendum est ad eam Basilicam atque ad id sepulcrum Monachos, si non antè, saltem à Dagoberti principatu fuisse.

Quòd Basilica suburbana Dionysij Martyris tumulo illustris, saltem à Principatu Dagoberti Monachos habere cœperit.

C A P V T IX.

MONASTERII S. Dionysij Monachus, qui Gesta Dagoberti cir-

ca annum Domini DCCCL. scripsit, memoriae tradit Antistitem Parisiacum, vique ad Dagoberti principatum Basilicam B. Dionysij Rusticique & Eleutherij Mart. Reliquias in vico Catulliaco seruantes, quæ in sua diœcesi & sub sua erat potestate, vni alicui Clerico iure beneficij tradere consueuisse. Quod si verum est, credere conuenit non antequàm Dagobertus regnaret, ad tumulum Basilicamque B. Dionysij Monachorum gregem esse occœpisse. Sanè nec ex Gregorio Turonico Episcopo nec ex alio vilo vetere Historico quidquam habemus, quod aperte doceat, aut etiam vtcumque indicet ibi ante Dagobertum Monasterium fuisse.

Sed à Dagoberto Basilicam magnificentissimam tumulo B. Dionysij circumdatam, Monachosque cum suo Abbate ibi esse collocatos, & maximum ac nobilissimum Monasterium factum, auctor & testis est omni exceptione maior Fredegarius Scholasticus, cuius in Chronici capite LXXIX. hæc sunt verba. *His gestis, post paucos dies Dagobertus emisit spiritum, sepultusque est in Ecclesia S. Dionysij, quam ipse prius condignè ex auro & gemmis &*

multis pretiosissimis speciebus ornauerat, & condignè in circuitu fabricare praeceperat, patrocinium ipsius pretiosum expetens. Tanta opes ab eodem, & villa, & possessiones multae per plurima loca ibi sunt conlata, ut miraretur à plurimis. Psallentium ibidem ad instar Monasterij S. Agaunensium instituere iussit, sed facilitas Abbatis Aigulsi eandem institutionem noscitur refragasse. Fredegarius autem Chlodoueo Dagoberti filio regnante floruit, cuius in iv. regni anno eum Chronicon suum finiisse alibi docui. Nemo itaque sanus negare possit, quod scriptor æqualis eius ætatis affirmavit, Dagobertum Basilicam B. Dionysij, quam ipse extra Luteciam prope Clippiacum & Spinogelum villas fuisse aperte docet, super tumulum Martyris à fundamentis condidisse, auróque & gemmis ac multis pretiosissimis rebus ornasse, & maximis opibus villisque & possessionibus plurimis donauisse, Monachos ibidem sub Abbate constituisse, ac voluisse eos institutum Monasterij S. Agaunensium in psallendo sequi, demum in eadem Basilica inclytum Principem sepultum esse. Quod verò ait Fredegarius, auro & gemmis & pretiosissimis speciebus

ornatam esse à Dagoberto Basilicam B. Dionysij quam exstruendam curauerat, idem asserit Audoënus in libri 1. de Vita S. Eligij capite xxxii. his verbis, quæ Fredegarium mirum in modum illustrât. *Fabricauit etiam Eligius Mausoleum S. Mart. Dionysij in Parisiensi Ciuitate, & super illud tugurium marmoreum mirifico opere auro & gemmis ornatum, itémque cristam & species de fronte magnificè composuit; necnon & axes in circuitu throni altaris auro operuit, & posuit in eis poma aurea atque gemmata: lectorium quoque & ostia diligenter argento vestiuit; sed & tectum throni altaris argenteis operuit axibus. Fecit quoque repam in loco anterioris tumuli, & altare extrinsecus ad pedes S. Martyris fabricauit: tantúmque illic, suppeditante Rege, suam exercuit industriam, atque ita suum declarauit ingenium & artificium, ut pane singulare sit in Galliis ornamentum, & in magna omnium admiratione vsque in hodiernum diem. Hæc ergo omnia Basilicæ tumulique S. Dionysij ornamenta ex argento, ex auro, & ex gemmis aliisque rebus non obmiraculum nescio quod, ut Aduersarij putant, fecit Eligius: sed Rex Dagobertus, ut inclyti Martyris patrocinió*

protegeretur, ea sumptibus suis fecit, operâ ministerioque Eligij. Ac ne quis forsitan, ut iam accidit, Eligij a turificis manibus & arte ornatam tantum putet Basilicam S. Dionysij, non autem à fundamentis exstructam esse ab Rege Dagoberto, propterea quòd iussu eius Principis solummodò ornata & fabricata in circuitu Fredegario dicitur: ad refellendos Aduersarios Gregorius Aimoinusque sufficiant: è quibus Gregorius Chlotharium Regem Basilicam super S. Medardum fabricare cœpisse ait, Aimoinus Basilicam S. Petri à Chlodoueo; & Ecclesiam S. Vincentij à Childeberto fabricatas dicit. Quod supra asseruit Fredegarius, ex more sepultum esse in Basilica S. Dionysij quam condiderat Dagobertum, disertè confirmat Audoënus cap. xxxiii. *His operibus (ait) mirificè perfectis, mortuus est Rex magnus & inclytus Dagobertus, & sepultus est in eadem S. Dionysij Basilica sub arcu in latere dextro.* Si ergo Aduersarij in vrbe Lutecia atque adeò in matre vrbis Ecclesia, quæ vulgò S. Dionysij de Passu cognominatur, B. Dionysij tumulum tunc fuisse credunt, credant simul necesse est, & nouam Basilicam ibi à Dago-

berto conditam esse, ibi tumulum eius Regis fuisse, ibi Monachos ab eo Rege collocatos, itaut nobis pro maiore vrbis Ecclesia Monasterium, pro Collegio Conuentum, pro Clericis Ecclesiæ Parisiacæ Monachos substituunt: quo quid fingi potest absurdius? Hæc inquam omnia credere illos oportet, cum ex Fredegario Scholastico constet nouam Basilicam à Dagoberto super S. Dionysij monumentum exstructam, ibi Monachos constitutos, ibi ipsum Principem loci Monasterijque auctorem sepultum esse. Hæc si crediderint Aduersarij, tum quaeremus ab eis, quo tempore, quo auctore, quare cum corpore S. Dionysij cumque tumulo Dagoberti Monasterium tanti Martyris ex vrbe, ex matre vrbis Ecclesia in suburbanum ad v l. ab vrbe lapidem translatum fuerit: cur, quæ ueritate tot opes, tot villæ Regiæ, tot possessiones, quas Dagobertus ceterique insequentes Francorum Reges Basilicæ tumuloque S. Dionysij contulerant, matri vrbis Ecclesiæ ablatae, & Monachos in suburbanum translatos secutæ sint, quibus hodiè que fruuntur: quis postremò posterioris huius Monasterij ex-

tra urbem conditor fuerit, si Dagobertus intramurani Cœnobij fundator fuit. Hæc quatenus ex Aduersariis, quæ si nos docere non possunt, ut certè non possunt nec vñquam poterunt, æquo animo patiantur non recedere nos ab opinione populari atque communi, & credere persuasissimùmque habere, Basilicam tumulùmque S. Dionysij semper extra Luteciam fuisse, huic tumulo Dagobertum nouam Basilicam circumdedit, ornasse, dotauisse, ibi Monachos collocasse, ibi sepultum esse, quem loci Monachi vnum pro auctore ac fundatore habent, nec alium Monasterij sui conditorem agnoscunt.

Monachos autem à Dagoberto in Basilica S. Dionysij constitutos fuisse, etsi satis superque docet Fredegarius, qui mihi vnus est instar omnium, tamen ne Aduersarij vnico testimonio fidem negent haberi oportere, scriptori æquali adiungemus & supparem. Is est auctor vetus & grauis, qui sub Theodorico Dagoberti nostri nepote vixit, & de gestis Leodegarij Augustodunensis Episcopi ad Ermenarium eius successorem librum composuit: cuius hæc sunt verba de

Theodorico factione suorum Regno à fratre spoliato ac tonso. Tunc ad *Monasterium S. Martyris Dionysij* residere est iussus, ibique exspectare, donec crinem quem amputauerant enutriret: quem Theodoricum etiam Sigebertus Parisius in *Cænobium S. Dionysij* relegatum dicit.

Præterea in Appendice Chronici Fredegarij Sigobertū Reclusum *Basilica S. Dionysij Mart. Romam ad Limina S. Petri & S. Pauli* missum à Carolo Principe Pippini Regis patre inuenimus. Reclusi autem alii quàm Monachi saltem ut plurimum non fuere. Item Pippinus Rex Stephano Papa apud Parisius Ciuitatem in *Monasterio S. Dionysij Martyris* hiemare precepit. Rex usque ad Parisius ad *Monasterium B. Dionysij Mart.* ueniens, ibi moratus est aliquamdiu sepelieruntque eum prædicti Reges Carolus & Carolomannus, filij ipsius Regis, in *Monasterio S. Dionysij Mart.* ut ipse uoluit, cum magno honore: ubi & pater ipsius Carolus sepultus fuerat. Lotharius quoque peruenisse ad *Monasterium S. Dionysij Mart.* & ibi patrem reliquisse anno DCCCXXXIV. dicitur, qui in *Ecclesia S. Dionysij* reconciliatus, ab eo loco iter cæperit. Omitto Fulradum & Ardufum, qui sub Carolo Magno eius Mona-

126 HADRIANI VALESII
sterij Abbates fuerunt, & Hilduinum, ac
Ludouicum Caroli Magni ex filia nepo-
tem: quo mortuo anno DCCCLXVII. Caro-
lus Rex Abbatiam ipsius Monasterij sibi reti-
nuit, in quo & sep- liri voluit. In Annali-
bus rerum Francicarum ab anno DCCXLI.
ad annum DCCCXXII. deductis, quos
quia à Monasterij S. Bertini Monacho
scripti sunt, vulgò Bertinianos vocant,
legimus anno DCCCLXV. Nortmannos
XIII. Kal. Nou. Monasterium S. Dionysij
intrauisse, ubi XX. circiter diebus immoran-
tes, & quotidie prædam exinde ad suas naues
ducentes, post multam depredationem sine con-
tradictione cuiusquam ad castra sua non longè
ab eodem Monasterio sine reuersi. Anno
DCCCLXVII. Carolum Regem reuersum
ex Aquitania, Pascha Domini in Monasterio
S. Dionysij celebrauisse, & insequenti anno
eundem bis ad Monasterium S. Dionysij re-
disse, ibique Pascha celebrasse. Anno DCCC-
LXIX (vt auctor eorundem Annalium
scribit) Carolus IV. feriâ ante initium
Quadragesimæ ad Monasterium S. Dionysij
perrexit, ibique sanctum Quadragesimæ ie-
iunium exegit, & Pascha Domini celebrauit,
& castellum in gyro ipsius Monasterij ex ligno
& lapide conficere cæpit: & anno DCCCLXXV.

Carolus circa initium Quadragesima Monasterium S. Dionysij adiit, ubi & Pascha celebravit, & Richildis uxor eius noctu ante I. V. feriam Paschæ abortu filium peperit, qui baptizatus mox obiit: illaque dies purificationis post parturitionem in eodem Monasterio expectante; Carolus ad Basium perrexit, indeque ad Litanias celebrandas ante Ascensionem Domini, ad Monasterium S. Dionysij rediit. Quæ omnia protulimus, propterea quòd dilucidè docent à Dagoberto usque ad Carolum per annos ducentos ac quadraginta non modò apud sepulcrum S. Dionysij Monasterium inclytum & celeberrimum fuisse, sed etiam in loco suburbano & extra Luteciam sito, ubi & nunc est, positum illud fuisse.

Antequàm disceptationem finio, de corpore B. Dionysij aliqua dicenda sunt. Frodoardus in cap. xxiv. libri primi Historiarum Ecclesiæ Remensis Remis inclyti Martyris corpus ob infestationem Paganorum seruatum esse Fulconis ac Odonis ætate tradit his verbis. *Nos unum, quod nuper comperimus actum, decreuimus inserendum. Quadam Sabbatorum die, iam vespèrâ Dominici diei accedente, paupercula nomine Gislaidis ex familia S. Dionysij ville*

*Chortis superioris, dum molam manu verteret, manubrium mola ipsius inhaesit dextra, ut diuelli posset à nemine. At salutis suae sollicita, quoniam B. Dionysij tunc Remis ob infestationem Paganorum seruabantur membra, veloci gressu ad eiusdem S. Martyris domini sui contendit accedere pignera. Quærunt Aduersarij, vnde & quando Dionysij Mart. Reliquiæ Remos translatae, & quem in locum quoque tempore reportatae sint. Qui si Frodoardum diligenter perlegissent, scirent propter Nortmannos qui anno DCCCXXVII. Luteciam obsederunt ac sæpe postea Parisiacum agrum vastaerunt, Monasterij S. Dionysij Monachos Durocortorum Remorum ad Fulconem vrbis Episcopum confugisse, eodemque secum Dionysij, Rustici, & Eleutherij Martyrum ossa detulisse, vt anno DCCC-LIX. in villam Nouientum eadem eiusdem Gentis metu detulerant: quæ post pacem cum Nortmannis factam à Monachis ex vrbe Remis in Monasterium sepulcrumque suum relatae sint. Sic enim Frodoardus in libri IV. capite VIII. scribit. *Eo tempore Nortmannis Francorum terras instantibus, & diuersa loca depopulantibus, hic Pontifex (Fulco) tam Sacerdotes quam**

quàm ceteros Clericos & Monachos ad se undecumque confluentes benignè suscepit, & paternè fouit. Inter quos etiam Monachos S. Dionysij cum ipsius Martyris pretioso corpore, aliorumque Sanctorum pigneribus recepit & aluit. Tum nimirum per totam ferè Galliã fugientium Clericorum Monachorumque & Sanctorum suorum corpora circumferentium discursibus nihil in Historia nostra frequentius occurrit. Desinant ergo sudare Aduersarij, & quãquam id Frodoardus non dicit, haud tamen dubitent Reliquias Dionysij Mart. vti antea ex villa Nouiento; sic post pacatos Nortmannos ex vrbe Remis in Monasterium suum à Monachis qui eas transtulerant, fuisse reportatas, ac ibi hodièque seruari.

Ex supradictis facilè intelligitur, quàm periculosum sit vitilitigando & nodum in scirpo quærendo, & quòd ac opinioni omnium contraria sponte sectari. Quippe eiusmodi homines, dum alios reprehendunt, dum curua corrigunt, ipsi plerumque ac ferè semper in graues errores incidunt: & dum ceteris viam monstrare volunt, ipsimet cæcutientes à recto tramite longè recedunt, quò tendunt numquam peruenturi. Qui me-

liùs famæ suæ consulere, si suæ quisque professionis memores, nota sibi & diu multùmque meditata mandarent litteris. At nunc quo quisque est indoctior, eo scribit audaciùs, eo confidentiùs affirmat incognita: nunc duorum aut trium auctorum verbis cursim lectis, minimè examinatis aut intellectis noua ac falsa perabsurdàque obseruatio, velut fundamentis infirmis ædificium mox casurum imponitur sæpissimè ac superstruitur. Nunc Laicos de Prædestinatione, de Gratia Dei, de libero arbitrio voluntatis humanæ; Theologos de Historia Francica disputantes ac scribentes videmus: cùm suæ artis vnusquisque & auctor & disputator optimus sit, & Apelles futorem supra plantam adscendere vetuerit, ac supra crepidam iudicare. Notum est, quodnam Hannibal de Peripatetico Phormione iudicium tulerit, qui aliquot horas de officio Imperatoris coram ipso locutus erat. Maximè omnium delirare senem dixit, qui sus Mineruam docere, & sibi veteri Duci præcepta de re militari homo Scholasticus dare voluisset.

Abundè me puto quæcumque pollicitus eram præstitisse: quæ ego veri anti-

quiritatisque studiosis, nullo præiudicio præuentis, peritis Historiæ nostræ, ac nulla à nobis secta diuisis scripsisse me profiteor, non Aduersariis, quos opinionibus suis immortituros esse haudquam dubito, ne cedendo sententiámve mutando errorem suum agnouisse, neu quid vmquam à quoquam didicisse videantur. Habebunt mihi gratiam viri docti & candidi, quòd multa abdita nec priùs obseruata in lucem protulerim: habebunt & nostri Monachi, quorum tota natio tanto nonnullis hominibus odio est, quòd Monasteria sua, Basilicas possessionésque suas, ipsorum maioribus asseruerim. Plura addere poteram, sed hæc sufficere mihi visa sunt occupatissimo, & iam per xv. menses sub prælo gementi.



•••••
SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAVTVM est auctoritate Regis, ne quis in Regno eius, alijsve locis eius ditioni subditis, librum qui inscribitur, HADRIANI VALESII Disceptatio de Basilicis quas primi Francorum Reges condiderunt, an ab origine Monachos habuerint, quouis caractere, aut forma excudere, aut alibi excusum vendere, aliove quolibet modo distrahere possit intra quinque annos, computandos à die absoluta prima editionis, prater SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginae Architypographum, Regie Typographiae Gubernatorem, necnon Urbis Exconsulem. Qui secus fecerit, multa ei indicta: prout fusius in diplomate Regio continetur, dato Parisiis mense Iunij anno 1657. subscripto, ad mandatum Regis,

M A B O V L.

84

I

ne

us

r,

io

es

ds

u-

us

ne

is

is


is

is

is

is

is



cd

